



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lapis Philosophicus, Et Aurum Potabile, Eleemosyna

Foullon, Jean E.

Leodii, 1667

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51728)





5

211
5

Th 3065.

Collegii S. I.





173 / 172
173 / 172

L A P I S

PHILOSOPHICUS

ET


AURUM POTABILE

ELEEMOSYNA

A. R. P. I. E. FULLONIO

S. J. THEOL. ET BOCC.

Præfatus. M. DC. CC.



L. E. O. D. I.

Typis Joani. MATTHEI HORN.

Adiungit P. Barth. F. S. S. S.

M. DC. LXXII.

Superius per...

REVERENDISSIMO
ET ILLUSTRISSIMO
DOMINO,
D. FRANCISCO GUILIELMO,
BARONI A BOCHOLTZ
ET OREY,
CANONICO LEODIENSI,
ARCHIACONO, CUSTODI,
ET CANONICO HILDESIENSI,
SERENISSIMO PRINCIPI
MAXIMILIANO HENRICO
BAVARO
AB INTIMIS CONSILIIS.



Hic istud Christi ad discipulos suos servabimus, *Nolite transire de domo in domum.* Prioris nostri

Luc. 10.

DEDICATORIA.

stri ad Machabæos tomi præ-
cursorem Illustrissimo fratri
Tuo Decano Leodiensi, abhinc
annos decem, allegavimus,
Bonæ voluntatis mortalibus
utillimæ nuntium: eundem-
que mox, in habitu vernacu-
lo, Illustrissimæ matri Tuæ,
post biennium deinceps fatis
functæ, destinavimus. Tomi
posterioris anteaambulonem,
Veræ Ecclesiæ inferis metuen-
dæ fæcialem, abhinc quia-
quennium Illustrissimo item
fratri Tuo commendavimus,
Ordinis Teutonici bellis ad-
versus

EPISTOLA

versus infideles exerciti Tri-
 umviro, Provinciali Com-
 mendatori Iuncetano. Utri-
 usque tomi asseclam ad Te
 mittimus, carissimæ Superis
 Misericordiæ tabellarium :
 cujus vultum à teneris fami-
 liariter nôsti, consuetudi-
 nem constanter adamâsti,
 mores plurimi æstimâsti.
 Fert ad Te, ut Augustinus
 aiebat, *a literas de patria no-
 stra*, de divinis oraculis, de
 Patrû scitis, de Fidei rationis-
 que decretis, quæ Tibi certis-
 simæ consiliorum omnium

A 3

regulæ

a In ps. 149.

EPISTOLA

regulæ sunt. Simul offert *Lapidem philosophicum*, an Theologicum: quo metallorum cineres, ac luteam scobem, afflatu & igne Spiritûs Sancti in Christi pectore excoquas, & *Auro* mutes; quod deinde, ejusdem ignis vi, & aquæ fortissimæ de Christi pericardio cum sanguine profluentis, fiat *Potabile*, sitque ^a *fons aquæ salientis in vitam eternam*. Sed, pro humanitate Tua, tam gratum tabellarium diutiùs in vestibulo hæ-

a Joan. 4.

8 A

211 391 0

DEDICATORIA.

hærerere non pateris, introque
ad familiare alloquium ad-
mittis: ut propositis Miseri-
cordiæ mandatis, nostra
etiam verba exponat, teste-
turque, quàm sincerè fuerim
semper, futurusque sim, do-
mûs vestræ universæ, &

Ill^{mæ} ac R^{mæ} Dis Tuæ

Servus obsequentissimus,

JOAN. ERARDUS FULLONIUS
E SOCIETATE JESU.

A 4

APPRO

APPROBATIO.

PERMITTIMUS, ut edatur in
lucem liber, cui titulus LA-
PIS PHILOSOPHICUS & AURUM
POTABILE ELEEMOSYNA, per
Reverendum admodum Patrem
JOANNEM ERARDUM FULLO-
NIUM, Societatis JESU Theo-
logum, nuper in Divi LAMBER-
TI nunc in Divi PAULLI Eccle-
siam. Datum Leodii hac 5.
Maii, 1667.

IOANNES SVRLET
Can. & Vic. gen. Leodien.

APPROB.

A

L.A.

E

LAPIS PHILOSOPHICUS,
ET AURUM POTABILE,
E L E E M O S Y N A .

P R O O E M I U M .

I.
Quomodo eleemosyna est lapis philosophicus, & Aurum potabile.

QUEM falsa vanitas aliquando jactat inventum, quem avara cupiditas aut malefana curiositas semper quaerit in cassum, Lapidem philosophicum, id est artem de metallis quibuslibet ingenio chymico aurum efformandi : eum nos lapidem ^ain foraminibus Petrae, in caverna maceriae, in quinque JESU-CHRISTI vulneribus ostendemus. Quod arrogans quorundam circumforaneorum medicina praedicat Aurum potabile, farcien-

A 5

dis

dis viribus, prorogandæ vitæ, propulsandæ morti: id nos ^a de quinque fontibus Salvatoris hauriemus. Eleemosyna hæc est: cujus efficacitate, in pauperum manus deposita vilissima metallorum, & recularum frivola, fiunt ^b aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum: per quam ^c æra, quamvis minuta, nedum argentum & aurum, vi Christianæ caritatis eliquata in egenorum sinus, vertuntur ^c in fluvium aquæ vitæ, procedentem de sede Dei & Agni.

II.

Quare de eleemosyna rursus hic tractatur?

Etiamne tu, inquis, de argumento tam protritito? Etiam: quia etsi protritum est, nec fat tamen teri, neque unquam deteri potest; caritas enim utendo non modò non consumitur, sed augetur. Deinde, quia brevius longè dicam, quàm alii; aliter dicam, quàm ulli

a Isa. 12. b Ap. 21. c Luc. 21. d Apoc. 22

ELEEMOSYNA. 3

ulli; forsan & aliud. Hoc certè non ambigo, quin Christianis oculis gratum futurum sit; quòd Christi amabilissima vulnera, in capitum summario ad prægustum exhibita, in illorum quinario numerata, in materia & sectione eorundem repræsentata, invenient.

III.

*Cur non agitur
de eleemosyna
spirituali?*

Quidni ergo, rursus aliquis inquit, de spirituali potiùs eleemosyna, quàm de corporali edisseris: cùm illam potissimùm Christi vulnera, salutis animarum passi & mortui, respiciant? Quia quod nuper dicendo non egi, quod nunc scribendo non ago, id tu mox egeris cogitando: ut, ab eleemosyna corporum, gradum facias ad eleemosynam animarum; easdemque utrique causas, & rationes, accomodes. ^a Nam ubi paupertas est, in-

A 6

quit

a. Lib. 2. de erud. c. 38.

4 R. P. FULLONII

quit Richardus Victorinus, *ibi & eleemosyna esse potest: & quanto paupertas est verior, tanto & eleemosyna major.* Atqui animarum longè miserabilior est, quàm corporum pauperties: adeoque major longè, & pretiosior, animorum misericordia, quàm corporum. Non idcirco tamen amplum in Christi vulneribus locum non habet, pretiumque suum amittit, ac præmium, eleemosyna corporalis: etsi spiritualis pluris est; & plurimi est, quæ corporum simul & animorum subvenit egestati.



SUM-

SUMMA CAPITUM.

- I. **C** *Vr* *facienda eleemosyna?*
Causas in quinis Christi vulneribus invenies: potissimam in pectoris plaga; quia quidquid misero facis, Christo facis, vulnerato, crucifixo, pauperi, pauperum amantissimo.
- II. *Quomodo facienda eleemosyna?*
Eodem, quo Christus de vulneribus sanguinem fudit, affectu, & modo.
- III. *Cui potissimum danda eleemosyna?* Quem tibi magis commendant vocalissima ora vulnerum Christi: quem ipsius sanguis tibi fecit propinquorem.
- IV. *De quibus bonis facienda eleemosyna?*

6

R. P. FULLONII.

na? De quinis, id est univer-
fis : quia nostra omnia emit
Christus , qui nosmet emit
pretio magno , & redemit
quinque siclis vulnerum suo-
rum.

V. *Quantum eleemosynæ dandum?*

Quâ tibi mensurâ Christus è
plagis sanguinem suum im-
pendit, & seipsum : quâ men-
surâ usus esse volueris , cùm
vulnera sua dextris, & fini-
siris, Christus iudex ostēdet :
quam mercedis mensuram
exoptas , & expectas , ab lar-
gissimo Redemptore, & Re-
muneratore.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Cur facienda eleemosyna?

I.
Quina ad eleemosynam incitantamenta, Christi vulneribus respondentia.

IM P E N D E N D Æ in egenos, & calamitosos quosvis, eleemosynæ potentissima hortamenta quinario complectemur, sacratissimis Christi vulneribus indicato. Ex his, velut è locupletissimis fodinis, fidem eruemus, timorem, spem, gratitudinem, caritatem: Thesaurus cœlestes, & inexhaustos, misericordiæ Christianæ: Lapidem philosophicum sapientiæ, & opulentiæ divinæ: Aurum potabile longævitalis, & sanitalis, æternæ. Prima ergo nobis eleemosynę exercendę causa sit Fides, caussarum cæterarum fun-

8 R. P. FULLONII.

fundamentum, ^a *substantia*, & basis, *rerum sperandarum*, amandarum, timendarum: eamque ob rem pedis dextri vulneri convenienter appo- sita. Altera petitur à Timore di- vino, ad pedis sinistri plagam con- fugiente, ut misericordiâ miseri- cordiam assequi possit. Tertiam, & quartam, facient Spes, & Grati- tudo; hæc in sinistra manus, illa in dexteræ vulnere collocata. Quinta, ex perfossi pectoris, & a- perti cordis, ardente finu, erumpet Caritas Christiana.

II. Fides docet, eleemo-
Eleemosynam à *Deo præceptam* *esse, de fide est.* *synam*, misericordiæ
adversus indigentes pro
hujus vitæ sustentatione officium,
non consilio tantum divino illis
esse commendatam, quibus facul-
tas non deest; sed præcepto, eo-
que gravissimo, imperatam, ac fan-
citam.

a Heb. ii.

ELEEMOSYNA. 9

citam. In consilii enim neglecti, ac prætermiſſi, pœnam, ad inferos nemo damnatur : damnantur autem ^a *maledicti in ignem æternum*, quia famelicis, nudis, extorribus, ægris, benè non fecêre, cùm possent. Prætereà, ob consilii sequendi negligentiam, caritatis divinæ incomparabili jacturâ nemo percutitur : percutitur autem immisericors, ob auxilium egentibus non impensum : nam, ^b *qui videt fratrem suum necessitatem habere, & clausurit viscera sua ab eo, quomodò caritas Dei manet in illo?* Deinde, quod Judæis datum est, multò arctiùs Christianos obstrinxit, ex naturali lege caritatis, ipsis commendatissimâ : ^c *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ : idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra.*

Præ-

^a Mat. 25. ^b 1. Ioan. 3. ^c Deut. 15.

Prætereà, quod consilio dumtaxat
suadetur, debitum non est : elee-
mosyna verò debitum est, Siracide
sententiâ, ^a *Declina sine tristitia pau-
peri aurem tuam, & redde debitum tuum.*

III.

*Præceptum de
elemosyna ad
decalogi septi-
mum reduci-
tur.*

Accedit denique au-
ctarii vice, ad irrefraga-
biles illas divinorum
oraculorum auctorida-
tes, nobilium multo-
rum Theologorum non spernen-
da sententia : quòd eleëmofynæ,
interdum faciendæ, necessitas ex
septimo Decalogi præcepto confi-
ci possit. Quamvis enim ibi fur-
tum tantummodò, id est quævis
erga res alienas injustitia, vetari
videatur : imperari tamen simul
aliquid constat. Omnia enim uni-
versim Decalogi præcepta affir-
mationem simul continent, & ne-
gationem : ut quæ jubent, etiam
vetent ;

^a Eccli. 4.

vetent; & quæ vetant, etiam jubent. Atqui, in prohibenda rerum alienarum injusta contrectatione, nihil potest melius imperatum intelligi, quàm rerum propriarum ad alienam egestatem sublevandam impensa. ^a Tuum enim esse fermè definit, quod tuum est, hoc ipso, quia eget alius, tu non indiges: & quia tibi superest, alteri deest, exigit ratio, ut ipsius miserabilem defectum aliquando suppleas. Nec rectus erit opum tuarum usus, si tibi solummodò ferves; aut amicis, benefactoris, beneficis, largiari: inopes verò non respicias, & misericordiâ non digneris. Habet ergo furto aliquid affine eleemosynæ inhumana recusatio, & meritò à Theologis ad septimi præcepti finem, ac rationem,

^a Vide infra cap. 5. num. 1. 2. & 12.

nem, ^a refertur; nam licet injustitiam, in arcta illa & propria significatione, non admittit, æquitati tamen contraria est, & caritatem offendit, quæ ^b est plenitudo legis, & ex qua ^c *universa lex pendet.*

IV.

*Peccata, &
eorum poena,
elemosynis re-
dimuntur.*

Alteram largitatis erga indigos causam præbebit Timor divinus. Quàm multa enim mala miseris peccatoribus, ab æquissimi Numinis justissima vindicta, impendent, nisi misericordia succurrerit? Hanc evadendorum suppliciorum, criminibus debitorum, & destinatorum, viam demonstrabat Daniel Babylonio Regi: ^d *Peccata tua elemosynis redime,* vel ut alia versio habet, *involve,*

&

^a Alber. Mag. in 4. dist. 15. a. 16. & hodie passim: et si Bell. contr. ult. l. 3. c. 6. reducat ad quartum, post S. Th. 2. 2. 2. q. 32. a. 5. ad. 4.

^b Rom. 13. ^c Mat. 22. ^d Dan. 4.

& iniquitates tuas misericordis pauperum.
 Secutus Danielis consilium Nabu-
 chodonosor septennali poenâ mu-
 tavit æternam, & sibi redditus be-
 nedixit *Altissimum*, & viventem in semp-
 ternum laudavit, & glorificavit. ^a Eo-
 dem usus consilio Petrus Telonea-
 rius, quæ sordidâ avaritiâ & crudâ
 immisericordiâ peccârat, paupe-
 rum subsidiis expiavit: postquam
 appensus in statera inventus erat
 minùs habens, nisi lancem alteram
 panis unicus in mendicum proje-
 ctus depressisset. Nimirum, ut
 Tobias pater filium monet, & to-
 tidem fermè verbis ^b Raphaël
 utrumque, *Eleemosyna ab omni pecca-*
to, & à morte liberat, & non patitur ho-
minem ire in tenebras. Idem moni-
 tum commendat omnibus Siraci-
 des: ^c *Ignem ardentem extinguit aqua,*
& eleemosyna resistit peccatis. Magnifi-
 cen-

a In vita S. Joan. Eleem. b Tob. 4. & 12. c Eccli. 3.

centissimè item eloquentissimus Prophetarum, insigni in eam rem vaticinio, & luculentâ commendatione, ubi isthæc præsertim expendenda. ^a *Cum effuderis esurienti animam tuam, &c. Orietur in tenebris lux tua, & tenebrae tuae erunt sicut meridies.* Eâdem sententiâ pronuntiatum à Christo ad Phariseos, plenos licet rapinâ & iniquitate, ^b *Quod superest, seu, ut Græcè habetur, quod inest, id est de vestro, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Ut post tot divina oracula mirum non sit, ore uno ab omnibus Patribus eleemosynam commendari, tamquam singulare adversus mala omnia temporalia & æterna, peccatis promerita, subsidium. ^c *Per misericordias pauperum, inquit Chryfologus, misericordiam paremus, ut possimus esse de poenâ liberi.*

Quanta

^a Isai. 58. ^b Luc. 11. ^c Hom. 8.

Quanta misericordiae gratia, inquit Maximus Taur. ^a *quae una, & sola, virtus cunctorum est redemptio peccatorum*: ita sibi divinam misericordiam, ejus imitatione ac similitudine, conciliat, ut eleemosynarium peccatorem ad resipiscendum, & praeveniendas resipiscentiâ poenas imminentes, paulatim disponat, ac comparet.

V.

Bonorum omnium fons est eleemosyna, etiam bona apud homines fama.

Timori Spes affinis est, tertiamque Christianae liberalitatis causam illi affinem suggerit, bonorum à Deo omnium largitore obtinendorum fiduciam: bonorum, inquam, tum quæ huic caducæ vitæ bona sunt, tum quæ alteri & æternæ; nec quæ bona sunt ipsi dumtaxat largitori, sed toti ejus familiæ, sed patriæ universæ.

Ec-

Eccurnam enim à Christo alioqui dictum foret, Paulo teste, ^a *Beatius est dare magis, quàm accipere?* Beatitude apud homines pars præcipua, fama est: siquidem ^b *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multa.* Quod autem apud sapientes honorificentius nomen est, post appellationem iusti, quàm si eleemosynarius audias? ^c *Iucundus homo, qui miseretur & commodat, ab auditione malæ nō timebit: d* *eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia Sanctorum.* Olim, apud quasvis fermè nationes, honoris significatio fuit osculum vultûs: hodie apud Christianos manus osculamur, cùm reverentiam exhibemus, non tam quia societatis, fæderum, auctoritatis, potestatis, quàm quia largitatis instrumenta sunt.

Honor

a Act. 20, b ps. 112, c Prov. 22, d Eccl. 35

VI.

*Augēt ipsarū opes
temporales, sal-
tem non minuit.*

Honori ac famæ
eleemosynarii acce-
dit ipsa bonorum, quæ
liberaliter disperguntur, multi-
plicatio: ut plura panibus frag-
menta sint; &, cū illi vix cophi-
num unum impleverint, ista a *co-
phini duodecim* vix capiant: &, quo-
modò Sareptanæ viduæ contigit,
erga Eliam famelicum beneficæ,
*b hydria farine non deficiat, & lecythus olei
non minuatur.* Similem in modum
divinitus factum *c* D. Polycarpo,
servilis adhuc fortunæ juveni, qui
cū heræ suæ cellas in alimenta
miserorum exhaustisset, eæque ta-
men repositis plenæ invenirentur;
ab hera, miraculo attonitâ, dona-
tus libertate, & hæres postmodum
ex asse institutus est. Factum
idem D. Franciscæ, D. Elzeario

B

Aria-

a Joan 6. *b* 3. Reg. .7.

c Pet. Halloix tomø 1. Patrum Orient. In ejus
vita,

Arianensi, Marcello Archimandritæ, pauperculo opifici de quo Petrus Damianus epistola ad Alex. II. Pontificem, aliisque innumeris, quorum exempla apud multos, qui de isto argumento antehac scripsere, reperies: ut, vel sic, eleëmofyna percommode Lapis philosophicus à nobis dici potuerit, quia ipsas illas auget caducas, terrenasque, divitias. Faciamus tamen, id non omnibus contingere, ut conduplicentur largita, & cum fœnore redeant: at illud pro indubitato ponendum est, liberalitate erga pauperes, id est prudenti largitione, neque enim sine prudentia virtus est, pauperiorem umquam fieri neminem: & istud Salomonis pro oraculo audiendum, *a Qui dat pauperi, non indigebit, qui despicit deprecantem, sustinebit*

a. Prov. 28.

bit penuriam. Quod filius ex parentis experientia docti, oraculo mutuatus est: ^a *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem: justos quidem multos vidi mendicantes, at non illum, qui totâ die miseretur, & commodat: neque ipse solùm non egebit, sed & semen ejus in benedictione erit.*

VII.

Firmat familiarum, & virtutum prosperitatem.

Stabilimenta familiarum opes: opum stabilimentum eleemosyna.

Quotusquisque id nostrum de patriâ suâ pronuntiare ex vero non possit, quod Benedictus Fernandus ^b de sua: multos se vidisse illiberalium divitum liberos egentes, liberalium vix ullum? Idem de Antiochia sua ^c Chrysofostomus dicat: idem de Carthagine Cyprianus, cum hoc decre-

B 2 tum

^a Ps. 36. ^b In cap. 37. Genes.
^c Hom. n. 7. 12. ad Tim.

tum statuit, ^a *In tuto hereditas ponitur, quæ Christo custode servatur; hoc est caris pignoribus in posterum providere: idem de Hierosolymis & Judæa universa Siracides, quando, posito esse quosdam quorum non est memoria, & perierunt quasi non fuerint; b sed illi, inquit, viri misericordie sunt, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona.* Perire jam nunc videmus filiorum hujus sæculi familias, sæculo uno locupletatas, & depauperatas: dum sæcula numerant familiæ filiorum lucis, erga pauperes ampla caritate profusorum. Cùm autem ex privatarum familiarum fælicitate, & affluentia, nascatur publica prosperitas, consequens erit, & hanc ex eleemosyna pendere, fælicissimásque ac securissimas eas esse civitates, quibus pro vallis & aggeri-

^a Lib. de opere & electa. ^b Eccli. 44.

geribus est misericordia, & gratif-
 simæ miserorum orationes paupe-
 rum Patri. Id nos Leodii inter tot
 externa & intestina mala, extre-
 mum patriæ exitium minantia, ex-
 perti sæpiùs sumus, experiemur-
 que deinceps: nisi ^a Holofernes,
 Bethuliæ capiendæ, fontem aliò
 derivet; & dæmon Christianæ li-
 beralitatis alveum, Leodio per-
 dendo, in alios alveos, aut gurgites
 deducat, & exsiccet.

VIII. *Hujus vita
 miseriam mu-
 tat aternâ fa-
 licitate.* At verò, inquis, quo
 ego pacto credidero,
 ipsam illam tempora-
 lium bonorum prospe-
 ritatem ab eleemosyna exoriri;
 quando Jobum, & Tobiam, largif-
 simos utique, video tamen pau-
 perrimos? Quando in Joannis
 Eleemosynarii vita lego, mercato-
 rem donatâ illi luculentâ pecuniæ

B 3

in

^a Judith. c. 7.

in egenos summâ , filium tamen unicum , & mercimonium illius omne , naufragio unico amisisse ? Pauperrimos vidisti Jobum & Tobiam , ex opulentis ; & rursus ex pauperrimis opulentos. Miserum legisti , jacturâ tam tristi , mercatorem Alexandrinum : at mox æternâ filii salute , id est immenso lucro , lætissimum. Nimirum , si quando eleemosynario tristitia eveniunt , brevî lætis mutantur ; nec diu calamitatis noctem ille patietur , qui egentes recreârit luce caritatis. Fac tamen calamitatibus pressum , exsurgere non posse , immori, ^a *transire per multas tribulationes , sicut omnes qui placuerunt Deo* : sed ipsi non deerit alterius vitæ incomparabiliter major fælicitas. ^b Audiet cum Zacchæo , filium esse Abrahæ liberalis & hospitalis , quicumque
in

^a Iudith. 8. ^b Luc. 19.

dederit partem bonorum pauperibus: cum ^a Centutione docebitur salutis æternæ iter per Angelum, & Angelo parem Apostolum, si orationes ipsius & ^b eleemosynæ ascenderint in memoriam in conspectu Dei. Cùm defecerit recipietur in æterna tabernacula, qui fecerit sibi amicos de mammona iniquitatis: ^c & qui auro ignito caritatis foverit indigentes, civitate cælesti donabitur, cui mentiendæ adhibuit ^d Angelus mensuram arundineam auream. Longè millecuplo amplius, nedum centuplum, sese accepisse post mortem, ex immobili Christi promisso fatebitur, qui disperferit, ac dederit pauperibus: ut de Philosopho Evagrio narrat Baronius, ad fidem & misericordiam per Synesium ^e Episcopum converso, æter-

B 4

nam

^a Act. 10. ^b Luc. 16. ^c Apoc. 3. ^d Apoc. 21.

^e Anno 411. ex Pra. Spi. c. 195.

nam ex Christi verbis misericordiam consecuto, illudque post mortem prodigiosè testato, exhibitâ de triduani sepulchri latebris syngraphâ, & in Cleri populi que oculis, ad Synesii manus depositâ.

IX.

Beata prædestinationis certum indicium est.

Sed frustra hîc innumerorum improborum exempla recoxero, quos ad Ecclesiæ gremium, in poenitentiae sinum, ad misericordiae asylum deduxit, moribundos huic vitæ, alteri mortuos, familiaris eleëmofyna: quando ^a Hieronymi generale pronuntiatum accepimus, *Non memini me malâ morte vidisse mortuum, qui liberalem antè duxerit vitam*: quando ternis Christi oraculis didicimus, quàm ^b *Beati sint pauperes spiritu*, id est quibus cari sunt pauperes, & paupertas: quàm *Beati misericordes*, id est, qui non

^a Epist. ad Nepot. ^b Mat. 6.

non affectu tantum egenos miserantur, sed affectu cum licet: quam *Beati mundo corde*, id est, quos innocentia servat, vel innocentiae suppar poenitentia, ad quam eleemosyna manuducit, quae, *Raphaele teste*, ^a *purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam eternam.*

X. Sunt serae penfiles ita *Bonorum caelestium tessera.* fabrefactae, ut clavi non cedant, nisi vocabulum certum, circulis serae adnexis imprefum, assequare. Serae caducarum, & temporalium, prosperitatum aperiendae, vocabulum est ^b *pecunia*: cui obediunt, respondent, annuunt *omnia*, non omnes tamen; cum Principes non pauci, ordinis utriusque, vitulis aureis, aut vaccis Bethaven, non immolent. Bonorum caelestium serae patefaciendae, vocabulum est eleemosyna: cui

B 5 caeli

^a Tob. 12. ^b Eccle. 10.

cæli omnes, & cælites, & cælorum artifex ipse, annuunt, respondent; pænè etiam dixerim, sine tergiversatione obediunt. Hoc enim auisim affirmatissimè asserere, in cælo esse adulatorum neminem; qui pauperes non amârit, aut pauper non fuerit. Meritissimo itaque jure, Lapidis philosophici, & Auri potabilis, appellationem Eleëmofynæ tribuimus: quando per illam terrea pereuntium opum scoria, sacratissimo de Christi plagis liquore perfusa, & beneficæ projectionis pulvis, ventilatâ per cælestem auram flamâ decoctus, vertitur in divitias immortales, & confluit in torrentem perpetuæ voluptatis.

XI.

*Redditur Deo,
quod datur e-
geno.*

Ut merces nulla eleëmofynam in terris maneret, aut expectaret in cælis: at sola nos ad illâ, liberali
men-

mensurâ impendendam obstrin-
 geret gratitudo. Quid enim ha-
 bemus, quid sumus, quod non ac-
 ceperimus; ^a Quid esse, quid ha-
 bere speramus, quod accepturi
 non simus? Reddendum aliquid
 erat Deo, tam munifico: reddi
 tamen nihil poterat, nullius indi-
 go. Ut ergo aliquid redhibere
 possemus, ut gratitudini nostræ
 occasio ac materia non deesset, pro
 se pauperes substituit; quibus ali-
 quid donorum divinorum dare-
 mus, & Deus ipse, velut sibimet
 repensa, nobis ad gratitudinem im-
 putaret. Nihil enim eorum quæ
 possidemus, quacumque demum
 industriâ aut forte, ex alio primo
 fonte manavit, quam ex bonorum
 omnium inexhausta scaturigine:
 cui particulam refundimus per
 egenorum alveolos, & ^b *ad locum*

B 6

sunde

^a 1. Cor. 4. ^b Eccl. 1.

unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.

XII.

Et à Deo recipitur.

Ex cælestibus thesauris effossum est, liberalis dives, quidquid fulgidorum ac pretiosorum metallorum de terræ visceribus, de promptuariis fortunæ, in arcas tuas illatum est: fac ut eas ^a facultates, quas requiris, in cælestes thesauros manus pauperum reportent. ^b Nam generatur Domino, qui miseretur pauperis: fidejussor tuus, numarius tuus, depositarius tuus, mutuatarius tuus, locatarius tuus, collybista tuus, procurator tuus in egente est Dominus: ita Basilus, Augustinus, Paullinus, Chrysofomus, Patres alii vocavêre. ^c Si commendas servo tuo, quod accepisti, & non perdis: perdes, si commendes Domino tuo, quod accepisti ab ipso Domino tuo?

Terra

^a D. Laur. ^b Prov. 19. ^c Aug. hom. 19.

Terra committis, & tantò amplius colligis: ^a Christo committis, & perdis? Ponunt pueri in thesaurario, & secari sunt: ponis in manus ^b Christi, & times? Esto timeas; perdas, non colligas amplius: sed, quod nunc agimus, nonne gratificator tuus est Deus? Nonne gratificandus tibi Deus est? Nonne Dei totum illud est, quod tuum est? Nonne par est, ut ipsi totius saltem particulam redones in paupere? Dic itaque cum Davide: ^c Deus noster, tua sunt omnia, & , quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi, cùm dedimus indigentibus.

XIII.
Christi amor
orat nos pro
paupere.

Eadem erit ratio inflammandæ caritatis, quæ gratitudinis excitandæ. Christum audi, demonstratis in numerosissimo illo extremi iudicii con-

a. Conc. 3. in Ps. 36. b. Conc. 1. in Psal. 48.
c. I. Par. 29.

Iesu vulneribus, pronuntiantem,
*a Venite benedicti. Quamdiu fecistis uni
 ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*
 Pauper, indigus, despretus, miser,
 nasci volui, vivere, mori: ut igno-
 rare nemo posset, quàm mihi cari
 esset pauperes. Caris istis, istis mei
 similibus, quidquid impensum est,
 ipsi mihi impensum accipio, pro si-
 militudinis ratione, pro amicitiae
 jure, pro caritatis affectu. *b Quid,*
inquit exclamans ad isthæc verba
Cyprianus, potuit Christus majus edi-
cere? Quomodo potuit magis justitia, &
miseri cordia nostra, opera provocare?
 Non jam opus est, ut historias ap-
 parentis, *c Gregorio, Ludovico,*
Martino, Ivoni, Theobaldo, Eber-
hardo, Justinello, Gronzage, in
in mendicabulis Christi recante-
mus. Neque istas repetemus Chri-
 sti

a Mat. 25. *b* Lib. de cp. & eleem.

c Exc. ad 2. Mach. c. 12. sect. 5. num. 16.

sti voces, peregrini famelici habitu affirmantis, ^a Dive nostre Ode, D. Lamberti discipule, D. Huberti amite, sese aliàs in suis, nunc in seipso, ab illa exceptum, neque umquam illi defore quod caritati impenderet. Verba Christi vetera, & semper nova, eademque novissima, tenemus: mentiri, fallere, falli non potest, qui ista protulit, & profert. Audiit, & audit, tota Ecclesia Sanctorum: audiet tota Ecclesia judicandorum. Quidquid misero fit, Christo fit.

XIV. Si famentem hodie, *Christi vulnera perorant.* sitibundum, trementem, nudum Christum ipsum videas, nonne succurras? Tantumdem est, si famelico illi, & anhelato, & egenti, & semitecto subvenias. Si adhuc hæres, & tergiverfaris, ô dives illiberalis: mitte *digi-*

^a Vide etiam Ind. Conc. ad 1. Mach. fer. 2, post. Dom. 1. Quadr.

digitum tuum a indicem, dispensa-
fatore, numeratorem, *in manum*
Christi, & plagam rimare: mitte
manum tuam, non contractam, sed
apertam, sed benedictione plenam,
sed largitatis unguento pretioso
tinctam, sed sanguine Christi tin-
gendam *in latus* ejus, ad cor ipsius;
ubi senties, quàm amet pauperum
amatores, quàm ipse meritò aman-
dus sit; quàm amandi, quos amat.

CAPUT II.

Quomodo faciendae eleëmofyna?

I.
Largiter egenis
subventen-
dum.

VT eleëmofynam
facias, non tan-
tùm quia necesse est
aliquando fieri, quomodò antè di-
ximus;

a Ioan. 20.

ximus: sed ut eam perfectè, Christianè, ad Christi exemplum facias, primam illi comitem adijunge Largitatem. *Mitte panem tuum, inquit Ecclesiastes, a super transeuntes aquas, egenos, qui sicut aquæ dilabuntur super terram: quia post tempora multa invenies illum, in æternitatis Oceano, forsan etiam in flumine mortalitatis. Da partem septem, necnon & octo, egenis quibusvis, & multis: quia nescis, quid futurum sit mali super terram, quo te malo eleëmofyna liberatura sit, aut impetratura cælitus patiendi tolerantiam. Si repleta fuerint nubes, imbrem super terram effundent: ad eum modum larga sit, copiosi imbris instar, eleëmofyna tua: non qualis Ephraitarum, & Judæorum, de quibus conquestus Osee, b Misericordia vestra quasi nubes, matutina, & quasi ros manè*

a Cap. 11. b Cap. 6.

manè pertransiens, stillulis capita herbarum aspergens, & mox evanidus. Divites istos platano, latam & densam umbram sine fructibus pudenti, aptè comparâris: illos autem commodissimè moro contuleris, fructum, æstibus mitigandis natum, largissimè, diu, & ultrò præbenti; eamque ob rem, opinor, apud nos patrium Eleëmofynarij nomen nactæ.

II.
*Sanctorum
 Heroum exem-
 ple,* Sic enim egere Abrahæ, Jobi, Tobie, Nicolai, Joannes Alexandri-
 ni, Elisabethę, Borromæi, apud
 exteros; apud nos, Lamberti,
 Odæ, Huberti, Volbodones: &
 ne nominandis innumeris immo-
 remur, magni omnes Eleëmofy-
 narii, id est magni omnes Sancti.
 Sic olim apud Heraclidem Pam-
 bo Melaniam docuit, eleëmofy-
 narum numerum non esse cum
 Deo

Deo ineundum : quando, post ingentes summas in egenos passim dispersas, acceptis ab ea trecentis ad pauperum stipem argenti libris, quantum id foret monebatur. Sic nuper factum ab Antonio Julio Brignolio Genuensi, ^a ad annum sexagesimum secundum vita functo, ita in egentes profuso, ut supra quadragena aureorum millia ipsis annuatim elargiri consuisset, vulgòque trapezita Dei diceretur, artemque callere plusquam philosophici Lapidis, & auri de luto faciendi: dicere ipse solitus, *Ego viâ orationis vix possum pervenire in calum, cum vix orare sciam: Videbo itaque, an per eleemosynas possim amicos mihi pauperes facere, ut me in aeterna tabernacula recipiant.* Cumque aliquando amicè moneretur, domûs suæ etiam rationem habendam, respondere

con-

a P. Nadasi in Anno die mem.

cōsuêrat: Dabo ego, donec dabit mihi Deus;
 & illi curæ, atque cordierit domus mea, ac
 liberi. Id quod quàm ex vero dixerit,
 satis ostendunt divitiæ, ac florens
 fortuna illius domûs ac nominis.

III.

*Prudens tamen
 fit largitas, &
 de superfluis.* Nec verò metuen-
 dum, ne largitas nimia
 fit, atque adeo impru-
 dens ac vitiosa, quamdiu de super-
 fluis dumtaxat impertiet, non de
 necessariis, ut postmodùm dice-
 mus, ex D. Pauli sententia, ^a Non
 ut alius sit remissio, vobis autem tribulatio.
 Id est, ut Angelicus Doctor expo-
 nit, ^b ex parte accipientis caveatur, ne
 largitas det occasionē luxuriæ; ex parte dā-
 tis, ne illi pariat necessitatem. Eidē cau-
 tionī, Aug. l. de salutaribus docu-
 mentis adducit istud Isaiaë, *Frange
 esurienti panem tuum: non dicit da to-
 tum, sed dimidium.* Possis itidem ap-
 tare illud Augustini, lib. 83.
 quæst.

^a Cor. 8. ^b 2. 2. q. 32. 10.

quæst. 17. *Se inclinât, qui manum ja-*
centi porrigit. Non enim se projicit, ut
ambo jaceant. Nam quod de Sera-
 pione Syndonite narrant plurimi,
 de D. Paullino Nolano nonnulli,
 eò venisse largitatis, ut postquam
 sua omnia profuderant, seipso
 etiam caritatis causâ vendiderint:
 id omnino divino extra ordinem
 impulsui tribuendum est, & heroi-
 cæ animi excelsitati, ex sublimi in
 Deum fiducia.

IV.

*Eleëmofyna ad
 moriem non
 differanda.*

Nec largiter modò,
 sed citò des. Monitum
 est Siracidæ: *Fili, eleëmof-*
synam pauperis ne defraudes, & oculos tuos
ne transvertas à paupere, seu, ut Græcè
est, ne trahas oculos indigentes.
Animam^a esurientem ne despexeris: &
non exasperes hominem in inopia sua. Cor
inopis ne afflixeris, & non protrahas da-
tum angustianti. Primùm, ne ad
 mor-

^a Eccli. c. 4.

mortem usque protrahas ; quia nescis , an condendi testamenti tempus tibi Deus concessurus sit. Quia , ut tempus concedat , nescis , an tunc daturus sit benè & ex caritate testandi voluntatem : adhærescentibus plerumque moribundo locupleti opibus , spinarum altè & diu fixarum instar , aut herinacii partum procrastinantis. Quia , ut tempus ac voluntas suppetant rectè testandi , at magni equidem meriti non erit donâsse , quod tenere nequieris : nec sapientis fuerit , facem sibi per tenebras non curâsse præferendam , suaque non præmifisse ^a *transmigrantium* more , quomodò divitibus suadebat Salvianus.

V. *Nec protrahendi indigentes.* Deinde , *ne protrahas datum angustiati* ; sic , ut non tantùm mortis tem-

^a Lib. 4. ad Eccl

tempus , aut periculum , anteve-
 nias ; sed nec diu rogari velis, imò
 ultrò non rogatus dones indigenti.
 Illud Martinus præstitit, pallio in
 Ambianensis mendici manus di-
 midiato : istud Richardus Cice-
 strensis , offerre sese mendicis soli-
 tus, & indagare accepturos. Uter-
 que utrumque sæpissimè præstitê-
 re ; nunc ad prima indigentium
 postulata , nunc ad ipsum silen-
 tium, munifici. Eorum exemplo
 idem egêre , quotquot eleëmofy-
 narii secuti sunt ; documento ,
 quotquot præcesserunt.

VI.

*Humanitatis
 officium eleë-
 mosyna jungē-
 dum.*

Accedat comes pro-
 peratæ largitati huma-
 nitas. Etsi enim eleë-
 mosyna, quamvis inhu-
 maniter facta , infructuosa non fit ;
 ut vel ex notissima Petri Telonea-
 rii, ^a apud Leontium, historia ,
 pane-

^a In vita S. Ioan. Eleem.

panemque iracundè in importunum mendicabulum jacto, compertum est: fructum tamen ejus, ac gratiam, humanitate plurimùm augescere, itidem constat; prorsus ut Augustinus disertè pronuntiârit, ^a *Si panem dederis tristis, & panem perdidisti, & meritum, id est meriti plurimùm, pro tristitiæ & ægrimonix portione, amisisti.* Si autem multùm de merito detrahit tristitia dantis: quanto plus aspera verba, & gestus indignabundi, diminuent? Qua de re multis ibidem Siracides: ^b *Rogationem contribulati ne abjicias: & non avertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram: & non relinquant querentibus tibi retrò maledicere. Congregationi pauperum affabilem te fac. . . Declina sine tristitia pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi*
paci-

a Inpl. 42. b Eccli. 29.

pacifica in mansuetudine. Eum in modum nobilia omnia Christianæ liberalitatis nomina egêre : Divi inprimis Ludovicus , & Stephanus Reges , ille Gallix , iste Hungariæ : quorum gesta insignibus ubique sparsa sunt suavissimæ , & obviæ , in egenos humanitatis exemplis , contumeliis etiam interdum lætâ mansuetudine exceptis repensæ. Non pridem apud nos illustris nobilitate , & virtute , Melitensis in Condrosis eques , numquam fermè prandit , quin egenum haberet proximè confidentem , & mensæ reliquias cum auctario suis ipse manibus in alios ad castrî portam mendicos , antè salutî necessaria interrogatos , divideret ; nihil pædore , aut vociferationibus , absterritus vel offensus. Sic hodieque non pauci , sexûs utriusque , *manum ipsi suam* , non alienam ,

^a *aperiunt inopi, & comiter ac benigno vultu palmas suas extendunt ad pauperem: aut stipem illis, non ancillarum servulorumve, sed liberorum manibus mittunt, ut eos benignæ affabilitati, & humanitati non fastidiosæ, consuefaciant.*

VII.

Secreto, quoad potest, largiendum.

Secretum etiam, quâ poterit, quæret humanitas: & pauperibus, iis præsertim, quos pudor à mendicando prohibet, sic donabit, ut donare nesciatur, aut non videatur; sic saltem, ut donum non imputet. ^b *Conclude, inquit Siracides, elemosynam in corde pauperis, & ipsa exorabit pro te ab omni malo.* Rorem, hâc quidem parte, imitare, nocturnis horis madentem, origine ipsâ hodie incertâ: cùm non desint, qui de terra assurgere, & plantis adhærentem in stillulas concrefcere arbitren-

^a Prov. ult. ^b Eccli. 29.

bitrentur; scriptoribus aliis vulgò
 censentibus, in aëre cogi, & inde
 depluere. Pluviæ id genus amat
 secretorum omnium arbiter spon-
 sus; *cujus a caput plenum est rore, &
 cincinnati guttis noctium.*

VIII.

*Secretum arte
 adjutum.*

Stillavit eâ ratione
 Nicolai copiosissima
 largitas: imbri similis,
 quia profusa; rori, quia secreta.
 Commendatur etiam, in eodem
 genere, *b* à Joanne Moscho Ap-
 pollinaris Patriarcha Alexandri-
 nus, qui honestissimo juveni, mi-
 randâ rerum conversione ad inci-
 tas redactò, libras auri quinquagenas
 submitit, velut olim ipsius
 patri ab Ecclesia debitas, tam scitè
 coloratâ fictione, ut veritas habi-
 tura fuerit querimonix caussam,
 nisi caritas excusâset. *c* Nec pu-
 debit

C 2

a Cant. 5. *b* Pra. Spir. cap. 193.
c Sen. l. 2. de Benef.

debit Christianos, non absimile
Ethnici hominis Arcefilai exem-
plum intueri: qui ad ægrum ami-
cum, egentemque, sed, quod mul-
tis evenit honestis viris, indigen-
tiæ conscios metuentem, invisens;
ut verecundiæ pariter & necessi-
tati consulere, jacentis pulvino
crumenam auro fartam inter col-
loquendum, velut aliud agens,
supposuit: re antè non cognitâ,
quàm ipse discessisset, & jam extra
erubescendi periculum, ægri le-
ctus ab ancilla sterneretur.

IX.

*Servanda se.
mul humilis
modestia.*

Qui secretum, ubi
licebit, sectabitur, hu-
militatem simul & mo-
destiam adamabit, nec tuba canet
ante se, ut hominum oculos ad e-
leëmofynæ suæ spectaculum ad-
vertat: sed illam facere conabitur
^a *in abscondito*, quod frequentissi-
mum

^a Matth. 6.

mum humillimi Christi monitum
 est, ut *Pater, qui videt in abscondito,*
 reddat. Dei honorem, approba-
 tionem, oculum, iudicium, vo-
 luntatem intuebitur: securus, quid
 de se homines opinentur, qui uti-
 que non nōrunt iudicare nisi ut
 homines, rectē alii, alii secus.
 Quia tamen sæpē usuvenit, vel of-
 ficii occasione, vel loci, temporisve,
 aut necessitatis, ut palàm, in cen-
 forum approbatorūve oculis,
 eleēmosyna facienda fit: sataget
 humilis a Christianus, ut *opus qui-*
dem tunc fit in publico, sed intentio ma-
neat in occulto.

X.
Christi vulne-
ribus docemur
quinas eleēmo-
syna conditio-
nes.

Fidem spectabit,
 spem, timorem, gratitu-
 dinem, caritatem: ocu-
 lis in Christi vulnera
 intentis, quæ nos festi-
 natam & humanissimam largita-
 tem

C 3

a Greg. hom. II. in Evang.

tem, profuso sanguine universo, ad salutem hominis copiosa redemptione procurandam, ex intimo amore, ex sinu pectoris, ex secreto cordis, docuere. Itaque, ut quinas consummatae misericordiae conditiones expleas, ut dones largiter, citò, humaniter, secretò, & citra vanæ gloriæ periculum: etsi tot habes magistros, quot exempla Sanctorum; nusquam tamen certius, & compendiosius, disces, quàm si ad ora vulnerum Christi admoveas aures animi tui.

CAPUT

CAPUT III.

Cui potissimum danda eleemosyna?

I.
*In largiendo
invitanda di-
vinitas.*

FRUSTRA didicerimus, Cur, & Quomodo, erga egenos liberalem esse oporteat; nisi hoc etiam doceamur, erga quos potissimum ea virtus versari debeat. Gregorii Nanzianzeni documentum est: *a* *Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Quod ego ita interpretor, ut Christianum velit in eleemosynæ largitione dare omnibus abundanter, neque improperare: dare citò, ubi necesse est: dare secretò, & humiliter, etiam ignaris & ingratis, ut facit

C 4

Deus

a Orat. de amore pau.

Deus dare, non solum quia fides docet id esse præcepti; aut malo avertendo, vel impetrandæ gratiæ, vel gratiæ referendæ, hæc enim in Deum non cadunt; sed maximè donare sinceræ bonitatis impulsu, & caritatis affectu, quod divinum est. Denique, ut, quemadmodum Deus consideratè misericors est; ita & homo cui det ante dandam stipem consideret, præsertim si momenti alicujus eleëmofyna est, & digna quæ ponderetur; nam quadrantes æreos in trutina diu appendi nemo suaserit, quemadmodum aureos argenteosque.

II.

*Magnâ consideratione faci-
enda magna eleëmofyna; par-
va, aliquâ.*

Itaque cùm Regius vates dixit, ex quorundam sententia, *Beatum esse qui intelligit, id est pensatè & accuratè dispicit, a super egenum & pauperem: hoc*

a Psal. 40.

hoc tantum voluisse putandus est, quando majores aliquæ, non quotidianæ illæ minutulæ, largitiones faciendæ sunt. Est tamen nonnulla, etiam in quotidianis, adhibenda consideratio, pro doni portione ac merito. Etsi enim Christus dixerit, ^a *Omni petenti te tribue,* & ipse hominum nulli sanguinis pretium de vulnerum suorum thesauris non fuderit: quia tamen non omnibus Christianis suppetit erga homines omnes exercendæ caritatis facultas, eligendi sunt erga quos potius impendatur; nec, sine consideratione quadam, rectè ac prudenter eligi possunt. Quinis quæstiunculis totam, opinor, deliberationem facilè absolvemus.

I II.

Propinquus ante alios ordinatè subveniendùs.

Primam proponit
hisce verbis Angelicus
Doctor: *Vtrum propin-*

C 5

quid-

a. Luc. 6.

quioribus magis eleemosyna danda? Solvit istis Augustini: ^a Illi, qui sunt magis conjuncti, quasi quadam sorte nobis obveniunt, ut eis magis providere debeamus. Affert paullò post in eandem sententiam isthæc Ambrosii: ^b Est ista probanda liberalitas, ut proximos sanguinis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deprecere. Ne autem Patres illos de parentum erga filios, filiorum erga parentes egenos officio, agere existimes: ingenitæ enim ac necessariæ pietatis officia illa sunt, non misericordiæ; nec comparationem tam arcta naturæ necessitudo, ac vinculum, admittit. Agunt ergo de laterali, ut loquimur, conjunctione, quæ quò longiùs à stipite recedit, eò minùs ad succurrendum

^a 2. 2. q. 32. a. 9. lib. 1. de doct. Chr. c. 28.

^b Lib. 1. Off. c. 30.

ELEEMOSYNA. 51

dum obstringit : obligator enim est patruo nepos ex fratre, quàm secundi gradûs consanguineus, & hic affini aut tertio.

IV.

Est tamen, cum propinquos suos alii postponere.

At numquàmne licuerit agnatis alienos præponere, si non pari causâ, sed impari faltetem? Ejusdem D. Thomæ verbis responsum, auro contrà æstima-
bile, & ad singulos apices ponderandum, accipe : *Est tamen circa hoc discretionis ratio adhibenda, secundum differentiam conjunctionis, & sanctitatis, & utilitatis. Nam multò sanctiori, magis indigentiam patienti, & magis utili ad bonum commune, est magis eleemosyna danda, quàm personæ propinquiori, maxime si non sit multum conjuncta, cujus cura specialis nobis non immineat, & si magnam necessitatem non patiatur.*

v.
*Iusti peccatori-
 bus in eleemo-
 syna anteferen-
 di.*

Alterius quæstionis solutionem, primæ implexã, accepimus. Quæri enim debebat: iustone magis, quàm peccatori, largiendum? At modò dubitandi locus ampliùs non est, quin probi improbis eâ in re anteferendi sint; quando etiam interdum præ propinquis eos juvare oporteat, tanti Doctoris sententiâ. Adstipulatur Augustinus, ad ista Christi, ^a *Facite vobis amicos, &c.* Qui sunt, qui habebunt æterna habitacula, nisi Sancti Dei? Et qui sunt ab ipsis recipiendi in tabernacula, nisi qui eorum indigentia servierunt? Accedit disertum Siracidæ pronuntiatum: ^b *Si benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Benefac justo, & invenies retributionem magnam: & si non ab ipso, certè à Domino.*

^a Serm. 35. de ver. Dom. Luc. 16.

^b Eccli. 12.

ELEEMOSYNA. 53

mino. Non enim ei est benè, qui assiduus est in malis, & eleëmofynas non danti . . . Da misericordi, & ne suscipias peccatorem. Hoc est, si non suppetit unde utrique succurras, omisso improbo, opitulare probo.

VI.
Non ideo tamen proflus negligendi peccatores.

Si tamen, post impensum huic auxilium supererit, quod improbo dones, attende in illo naturæ necessitatem, non morum improbitatem : quomodò aiunt Aristotelé a respondisse cui-piam exprobranti, quòd improbo fuisset beneficus. Cave fis : inquit Gregorius Nanz. ne dignos auxilio prætereas ; dum nimis caves, ne indignis impertiare. Et Chrysofostomus passim monet, ut stipem dando, non curiosum indagatorem aut iudicem agamus ; sed beneficum, & amicum, largitorem. Ad-

dide-

à Apud Laert.

diderim tamen, usu aliquando venire posse, ut Deo gratius facias, si peccatori dones, quàm justo: quando eleëmofyna, illi impensa, non corpori tantùm sed animo profutura est, & peccatorem justo mutatura. ^a Quomodò enim, ut antè indicavimus, majoris pretii est eleëmofyna quæ animo tantùm prodest, quàm quæ corpori solùm: ita maximi ista est, quæ corpori simul opitulatur, & menti.

VII.

*Cives, & vicini
nos præ aliis curat
et misericors.*

Tertia quæstio est: civibusne promptius, ubi causæ omnes pares sunt, quàm peregrinis, advenis, extorribus, subveniendum? Idem, pauculis literulis mutatis, respondero, quod ad quæstiunculam primam Augustinus: Qui nobis, patriâ aut civitate conjuncti sunt,

qua-

^a Procemii. n. 3.

quadam ^a *quasi sorte nobis obveniunt, ut eis magis providere debeamus: utique velut ejusdem corporis membris, ejusdem fæderis sociis, earumdem legum subditis, eorumdem communium bonorum participibus. Imò, in eadem civitate ac patria, iis ante alios auxiliandum est, ubi nihil occurrit extra causam hanc inæquale, qui parœciam eandem habitant, qui habitatione viciniore sunt, eaque viciniâ ditioribus ad caritatis impendium divinitus destinantur.*

VIII.

Peregrini mendicij quando arceri possunt.

Quæ tamen in eam sententiam capienda non sunt, quasi peregrinis, & advenis, extremâ saltem, vel admodum gravi indigentia oppressis, & domi apud suos egestatis remedium desperantibus, deneganda sit necessaria huma-

^a *Supral. i. de doctr. Christ.*

humanitas. Etsi enim vagi errores, quos communis tantum urget inopia, prudenter arceantur, omnes tamen indiscriminatim, & universim, exteros pauperes arceri, in quantalibet egestate sint, neque exempla majorum nostrorum patientur, qui xenodochia ipsis & hospitales domos erexere; nec caritas ^a Christiana tolerabit, hospitalitatis per Apostolos commendatissimæ non immemor; nec Christus probabit, cum decretoriam illam æternæ adversus immisericordes sententiæ suæ causam proferet, ^b *Hospes eram, & non collegistis me.* Imò Chrysoströmus tolerandas non putavit ^c Antiochenorum querimonias, de mendicorum exterorum affluxu, qui communem veluti patriam, portum,

^a 1. Pet. 4. Rom. 12. Heb. 13. ^b Mat. 25.

^c Scism. 22. tomo. 5.

tum, ac matrem egentium, Antiochiam arbitrarentur. Ambrosius item ait, ^a *Qui peregrinos urbe prohibent, nequaquam probandos: ei que pronuntiato fulciendo adducit sapientis senis dicta, qui praefectura urbana curam sustinens, cum famem pateretur civitas, atque peterent vulgò, ut peregrini urbe prohiberentur, adscitis honoratis & locupletioribus viris: Canes inquit, ante mensam impastos esse non patimur, & homines extrudimus?*

VIII. Enimverò ^b *Deus amat peregrinū, & dat ei victū, atque vestitum: & vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis advena in terra Aegypti.* ^c

*Leodii, hospita-
lissimā licet ci-
vitae, vaga
mendicabula
rectè prohiben-
tur.*

Leodienses magno numero extorres Gallia nuper excepit, Joanne Hornæo Præfule. Olim, per Vazonis tempora, multi cives nostri in Hungaria sedes accepere, eorum

^a 3. Offic. 7. ^b Deut. 10. ^c Comp. hist. Leod. an. 1448.

rumque posterì quarto post sæculo
 testes ^a rediêre. Cur idem exteris
 non præstemus, quod ab exteris
 accepimus? Præstitimus verò id
 pridem, & præstamus largissimè.
 Hospitati non rarò apud nos plus-
 quam mille exteri: interdum etiã
 ad millia terna numerati, quos ci-
 vitas & suburbana sola aluère:
 quotidie plenas miseris peregrinis
 spectamus hospitales domos, spar-
 sas oberrantibus egenis advenis
 plateas. Optandumque est, ut ea
 ampliandæ caritatis occasio sem-
 per præbeatur: nisi civium nimia
 necessitas prohibeat; aut morbo-
 rum contagiosorum, ^b vel exi-
 tiosorum morum pericula dissua-
 deant. Qualia sæpè discrimina à
 vagis circulatoribus, Ægyptio-
 rum nomen mentitis: nec minora
 multò

^a An. 1447. ^b Valentia 2. 2. d. 3. q. 9.
 Bec. tract. de car. c. 21. n. 23. Rain. de Vir.
 & vit. l. 4. p. 2. c. 5. n. 118.

multò à validis, & otiosis mendicabilis, sede nullâ certâ errantibus, formidanda sunt. Atque adeo apud nos, per iterata sæpiùs edicta, & legis instar perpetuæ jam olim sancita, tum illi penitùs universâ ditione Leodiensi arcentur; tum isti ante triduum, ut tardissimè, exesse civitate jubentur, graviter ni obtemperent luituri.

IX.

*Tauperibus
infirmis ante
validos subveniendum.*

Quæstionem quartam, præponendine infirmi mendici validis, ratio unica absolvet.

Miserioribus succurrendum: inferiores autem sunt, quos duplex urget calamitas: duplex onerat mendicos, & infirmos seu ætate, seu morbis. Cave tamen, ne validis omnibus mendicis idcirco opem recusandam arbitrere. Etsi enim ^a Ludovicus Pius, Imperator

^a In Capitularibus apud Baron. an. 820.

tor, pietate suâ dignam hanc legem putaverit; ^a *Vbi tales inventi fuerint, qui sibi manibus laborent, nemo eis quidquam tribuere præsumat: & quamvis prudenter in urbibus multis cautum sit, ut valentes egeni mendicare non finantur, sed ad operas publicas etiam inviti locentur. Universim tamen omnibus mendicatio prohiberi non potest: quia non omnibus ubique suppeditatur operandi occasio, aut ex opere sufficiens victus, Dominicis præsertim ac festis diebus, quibus coguntur otiari: ut commodè advertit ^b Dominicus Soto, Vasquez, aliique Theologi.*

X
Honestis itidem ante communibus. Eadem quintæ quæstiunculæ ratio erit: sintne honesti pauperes præ communibus curandi? Cùm enim

^a V. etiam l. Cunctis. C. de mendicantibus validis. ^b Vterque opusc. de eleëm.

E L E E M O S Y N A. 61

enim egestas, & egestatis pudor, mala duo sint, in illis ex honesta domo natis, ac mendicare erubescantibus; isti autem unico inopiæ malo conflictentur, & citra pudorem stipe victitent: consequens est, illis prius ex recti ordinis ratione deberi subsidium; quandoquidem, in æquali licet necessitate, inferiores illi censendi sunt, quos duplex malum miseros facit. Prius, inquam: ut postquam illis subveneris, etiam istis passim mendicantibus pro facultate succurras. Des mendicabulis ad ædium tuarum vestibulum, ubi te inclamant: des in compitis, ubi te appellant: des ad templorum januas, ubi te expectant: des in templis ipsis, ubi te obsecrant, nisi isthęc tibi precationum, & attentionis tuæ in Deū, interruptio non placet.

Etsi

XI.

*Mendicationes
in templis pro-
hibentur lau-
dabilius, quam
tolerantur.*

Etsi enim nonnullis non displicet, Genebrardum laudantibus; qui ex domesticis suis uni, mendicos in templo dum orabat aspellere volenti, dixisse fertur, *Sine modò, distractiones enim istæ sunt orationibus meis potiores.* Quamvis ergo ita censeant quidam: at longè pluribus molestum est, orationes suas pauperum importunâ flagitatione interpellari: indecoramque illam esse arbitrantur evagationem ab animi quiete, & à divino colloquio; neque elevationem esse mentis existimant in Deum caritatis auctorem, sed avocationem à Deo pietatis amatore. Alia virtutibus aliis magis propria loca, & tempora. Templum religioni consecrata, & pietatis officii. In templorum vestibulis percommodè stipem dari posse, comparando

parando ante orandum animo, aut
 persolvendis post orationem Deo
 gratiis. Sic usum antiquum fuisse,
^a Conciliorum etiam decretis fir-
 matum, ut egenis mendicatio in-
 tra sacras ædes interdiceretur, ne
 orantibus obstreperent: attribu-
 tumque illis idcirco locum in pro-
 pylæo, ubi, citra orantium incom-
 modum, peterent ^b *eleëmosynam ab*
introëuntibus in templum, quomodò ab
 Apostolis claudus. ^c Denique
 Pium V. sanctissimum Pontifi-
 cem, egenorum patronum, pau-
 perrimâ domo natum, severè ve-
 tuisse, ne per tempus concionum,
 & officiorum divinorum, mendici
 in templis stipem petere, & sacra
 munia obturbare sinantur.

XII.

*Semper pauperibus
 beneficiendum.*

Velis etiam forsan
 hoc scire, quo potif-
 simum

^a Baron. an. 57. Rain. sup n. 119. ^b Act. 8.

^c Bullâ datâ Cal. Apr. 1566.

simùm tempore eleëmofynas largiores facere expediat? Breviter respondere possim: quomodò, ubicumque miser est, illic est misericordiæ locus; ita, quodcumque miser est, tunc est misericordiæ tempus. Ecquando autem miseri nulli sunt? ^a *Nonne semper pauperes habetis vobiscum?* Omni ergo tempore, *si vales, & quàm potes, benefac:* ^b quia & omni tibi tempore benefacit Deus: quia nec momentum est, quod ipsius benignitati non debeas: quia toties ad illius subsidiũ adspirat indigentia tua, quoties respirat anima tua.

XIII.

Aliquandotamen præcipuè.

Aliquã tamen anni parte liberaliorem convenit esse caritatem: quando solemnioribus festis operatur pietas; quando, per jejunium verum, impendi potest menti, quod subtrahi-

a Mat. 26. b Prov. 3.

trahitur corpori ; quando indulgentia peccatorum efficacius promerenda ; quando avertenda malorum, aut damnorum, discrimina ; quando impetranda à Deo beneficia ; quando de collatis agenda gratiæ. Septimanis item singulis Dominica dies salutare præbebit initium, religione, & caritate : suadente Paulo, ut ^a *per unam sabbati*, id est primam seu Dominicam diem, *unusquisque apud se seponat*, quid possit ac velit in egenos erogare. Nec melius dies singulos inchoâris, quàm à duplici Christi salutatione, ipsi gratissimâ : salutationis, quâ Deum, adoratione matutinâ ; quâ hominem, eleëmofynâ matutinâ ; infundes Christi vulneribus ipsum Christi medicamentum, ^b *vinum, & oleum* ; vinum, precando ; oleum, miserando.

D CAPUT

a 1. Cor. 16. b Luc. 10.

CAPUT IV.

*De quibus bonis facienda
eleemosyna?*

I.
*Eleemosyna
materia de
quinque bono-
rum generibus.*

BONORUM ge-
nera quinque sunt,
quibus ad subsidia pau-
perum uti vel debet
liberalitas, vel potest: numquam
immemor liberalissimi Redemp-
toris, qui nos emit a pretio ma-
gno, sanguine suo, & sibi nostra
utique omnia simul nobiscum
mancipavit. Primum, illi fini,
locum obtinent, quæ bona paupe-
rum dicuntur, & velut in Christi
pectore recondita sunt, ibique, in
ipsa fornace caritatis, ad obryzam

pur-
a. 1. Cor. 6.

purgantur: deinde, Ecclesiastica, in manum Christi dextram; publica in sinistram deposita: denique ad despota, seu domini nullius, ad dextrum pedem, privata cujusque ad sinistram collocata. Omnia de Christi vulneribus pretium Lapidis philosophici sumētia, & Auri potabilis miraculum, si rectè ad indigentium subsidia conferantur.

II. *Christo maxime cordo sunt bona pauperum canonica.* Pauperum bona communia, quàm cara Christo sint; vel ex ipsa legum sacrarum, & civilium, à Christianis Principibus ac Pontificibus latarum, consensione licet intelligere. Ex illis certè Andreas Tiraquellus, celebris Jurisconsultus, sexaginta supra centum prærogativas causarum piarum numerat, ex jure non canonico solum, sed civili: quarum causarum ex primas jure

utroque obtinent, quæ ad egen-
tium spectant subsidium. ^a Ut, si
quis generatim testamentum con-
diderit, legatúmve scripserit ad
causas pias: in pauperiorum gra-
tiam conditum, scriptúmve cen-
seatur, quia paupertati favendum
esse Cæsares censuere. Pontifex
item Gelasius, cum in quaternas
partes divisionem reddituum ^b Ec-
clesiasticorum faceret, tertiam
pauperibus adscripsit, fabricæ seu
instaurationi factorum tectorum
quartam: aliquid pro merito tri-
buens servando domûs divinæ de-
cori, sed plus sublevandæ pauper-
tati. ^c Imò D. Ambrosius non du-
bitat egestatis extremæ subsidiis
impendere calices ipsos sacros:
quia caritati, in ejusmodi rerum
articulis, succurrere & auxiliari
debet

^a Auth. de Eccl. tit. c. 9. ^b c. Aurum, 12. q. 2.
^c l. 2. Off. c. 38.

ELEEMOSYNA. 69

debet religio; nec verò religionis officium ullum Deo gratius est, quàm exolutio debitæ caritatis.

III.

Quando ea in alios usus vertere liceat.

Bonorum autem, quæ communiter ege-
norum nomine possi-
dentur, tot sunt genera, quot egestatis: nosocomia, leprodochia, gerontotrophia, xenodochia, montes pietatis, statî ad vestes, cibos, aliaque in pauperes vel domesticos vel externos distribuenda, redditus. Isthæc in alios, quàm instituta sunt, usus convertere nefas est: nisi caritas & justitia patiantur impèdi, vel altioris ordinis utilitati spirituali, quæ meliorem vitã ipiorum etiam pauperum spectet; vel communiore, ad ipsos etiam pauperes pertinenti, necessitati, tamquam in magno reipublicæ periculo aut damno.

IV.
*Sacrilegium ne-
 fas est, aliter de
 illis statueret.*

Extra istos majoris utilitatis, aut communis necessitatis casus, qui de bonis pauperum aliò quidpiam detorserit, de sacrilego furto tenebitur. ^a Itaque peccabit primum, quisquis, sibi indigentie non conscius, rem pauperum acceperit. Deinde, prævaricabuntur bonorum istorum administratores, quæstorésve, qui stipendiis legitimis labori suo admensis non contenti, de fundorum elocationibus, aut permutationibus, vel negotiationibus, quæstum facient, cum damno aut incommodo dominorum, id est pauperum, quibus annui fructus pravis istis artibus sæpè minuuntur. Prætereà, plurimum, meâ quidem sententiâ, aberrabunt, & piis fundatorum mentibus ac Manibus adversabuntur,

^a *Con. Trid. sess. 25. de refor. c. 8.*

tur, qui eas quæsturas vendent, & venditionis pretium in usus suos, non pauperum, vertent: cùm enim quæstura sit de pauperum bonis, fructus inde existens eorum itidem esse debet, nec poma cedere aliis æquum est, quàm quibus pomus tota conceditur. Denique, graviter admodum impingunt, qui bona illa negligenter curant, & qui supervacuis officiis, conviviis, sumptibus onerant: quantò magis, qui vel dilapidant, vel invadunt?

V.
*Instituta istius
 modi sacrilegii
 supplicia.*

Hisce sacrilegis latronibus paullo acerbius hodie, opinor, supplicium sanciretur, quam Avantii olim nobiles tulere, Hugone Petrapontio Præsule, ^a sæculi decimi tertii anno tertio supra vicesimum: coacti, ob exustum Lantinense

D 4

Cor-

^a Comp. Hist. Leod.

Cornelimontanę domûs prædium,
 à porta Valburgia ad templum
 Cornelimontanum nudis pedibus
 incedere, deducantibus eodem ha-
 bitu consanguineis nobilibus cen-
 tum : iussi item de damnis facere
 satis, & cavere in posterum, fide
 iubentibus equitibus duodecim.
 Longè certè horribilius à Deo
 supplicium iis expectandum est,
 qui damna pauperum rebus illata
 non sarciant : quale subière apud
 Petrum Damianum, & Baronium,
 * familiæ nobilis equites, ad æter-
 nos ignes damnati longâ hæredum
 decem serie, ob prædia quædam
 D. Stephani Metensis, quorum
 eo ævo fructus partim pauperibus
 debebantur, occupata.

Ad

* Epist. 3. An. 1056.

VII.

*Pauperibus te-
stamento lega-
torum fraudan-
do execranda,
& puni-
ta di-
vinitus.*

Ad bona pauperum
pertinent, quæ iis ge-
neratim testamento le-
gantur : quæ legata
fraudare, quanti res pe-
riculi sit, Christianorum nemo ig-
norare potest : cùm non nesciat,
Dei regnum furibus, & rapacibus,
non patere, fures autem esse con-
fiet, qui debita, quando commo-
dum est, non exsolvunt. Nec fu-
res modò sacrilegos censuerit^a Si-
racides, sed homicidas, qui legata
istiusmodi suffocent : nam *Panis*
egentium, vita pauperum est; qui defrau-
dat illum, homo sanguinis est, propterea
quòd stipem illis aut differt, aut e-
ripit, quâ tenuem vitam sustentare
poterant. ^b *Perpende ergo,* inquit
Petrus Damianus epistolâ quadam
ad quempiam similis criminis reû,
venerabilis frater, quantorum homicidio-

D 5

rum

a Eccli. c. 34.

b Apud Baron. an. 1055. 6

rum in die iudicii reus erit, qui modo tot
 viduis, tot orphanis, diversisq; pauperibus,
 unde vivere debeant subtrahat? Ad tri-
 bunal istud illius, qui pauperes singulariter
 diligit, qui se refici in paupere, se in paupere
 se perhibet esurire: ad tribunal, inquã, illius
 quã consciẽtiã veniet, qui alimenta pauperi-
 bus se subtraxisse recognoscit? Si damnatur
 ille, qui vel unũ hominẽ perẽmit ferro; quã
 sententiã dignus est, qui bona Ecclesie profligãdo,
 cõplures interficit famis & inopie gla-
 dio? Ut propterea credibile omnino
 fit, quod de Romarico Caroli
 Magni milite narrat • Vincentius
 Bellovacensis: legatum ab eo
 moribundo equum suum in pau-
 perum stipem, & sacrorum stipen-
 dia, cùm, qui legatum curandum
 susceperat, equi pretium abliguri-
 visset: hunc, tricesimo post die,
 ab illo apparente monitum de cri-
 mine, & criminis in posterum diem

penã,
 a Spec. Hist. l. 24. c. 8.

pœnâ, æternæ initio; postridie, dum visum sodalibus enarrat, abreptum in auras inter ferarum ululatus, cadaverque ipsius contritum quatruidi inde itinere in Pyrenæis inventum, duodecimo die.

VII.

*Superflua fructu
Ecclesiasticorum piis
usibus debentur.*

Audisti, à Damiano bonis pauperum adscribi *bona Ecclesia*: quia nimirum olim ante bonorum Ecclesiasticorum partitionem, eadem res Ecclesiasticis alendis & pauperibus sublevandis tribuebantur, ut vel ex celeberrimo ^a D. Urbani decreto compertum est: *Ipsa res fidelium, que Domino tribuuntur, non debent in alios usus, quàm ^b Ecclesiasticos & Christianos*

D 6

NOVUM

^a Brev. Rom. Maii 25.

^b Eadem sunt verba B. Prosperi l. 2. de VI. Cont. cap. 9. ubi agit de S. Paullino, Hilario Arel. &c. qui res Ecclesie non vendicaverunt in usus suos, ut proprias, sed, ut commendatas, pauperibus dividerunt.

uorum fratrum, vel indigentium converti :
 quia vota sunt fidelium, & pretia peccato-
 rum, ac patrimonia pauperum. Hodie,
 post diuisa bona isthæc communia,
 natura tamen illorum, & infu-
 mendorum ratio, mutata non est ;
 neque idcirco vota fidelium, pretia
 peccatorum, ac patrimonia pauperum, esse
 defierunt, quia in privatas por-
 tiones abiêre. ^a Itaque unanimis
 hodie Theologorum sententia cri-
 mine lethali obstringit Clericum,
 qui redundantem fructuum suorum por-
 tionem in profanos usus, aut ditandos ami-
 cos, impenderit : & carni ac sanguini
 dederit, quod misericordiæ dedif-
 se aut religioni debuerat.

VIII.

*Quamvis iuste
 perceptorem.*

Neque is modò tam
 horrendo fulmine per-
 cellitur, qui pecuniam,
 beneficiorum nundinatione au-
 ctionéve perceptam, pauperibus
 aut

^a Vide *Leg. de huc & iust. l. 2. c. 4. sub 6.*

aut pietati elargitus non fuerit in solidum, ut ^a Angelicus Doctor faciendum statuit, & res ipsa iustitiaque loquitur: neque is tantum, qui plura beneficia citra iustam legis gratiam possederit, ^b atque adeo fructus, supra sufficiens beneficium perceptos, numquam fecerit suos: neque is dumtaxat, qui officii sui negligens horarias preces ex debito non persolverit, & de altari vivens altari non servierit: sed ille quoque diligens, ac iustus, beneficiorum quorumcumque possessor. Superflua enim Ecclesiasticorum fructuum, quin egestati aut pietati debeantur, dubitare censuit nefas eloquens ac veridicus Salvianus, cuius isthæc sunt disertissima: ^c *Pro qualitate necessitatum, atque causarum, sufficientia*
reti-

^a 1. 2 q. 100. a. 6. ^b Vide Conc. Trid. ses. 24. de ref. c. 17. & Theol. Item ses. 25. de ref. c. 1. ^c Lib. 3 ad Eccl.

retineantur, immoderata resecantur: & :
 siue sexus, siue aetas, siue infirmitas, ne-
 cessaria victui requirat, sufficientibus tan-
 tum debet esse contenta, ut quidquid neces-
 sarium excedit usum, religiosum absumat
 officium.^a Eadem Patrum omnium
 vox est; ea priscae totius & sanctae
 Ecclesiae consuetudo; ea funda-
 torum mens, saepe diserta, semper
 intelligenda; ea denique Theolo-
 giae totius, ut modo dicebamus,
 definita sententia: quidquid Ec-
 clesiasticis fructuum sacrorum su-
 perest, id omne vertendum in usus
 pauperum, aut pios. An autem
 istud iustitiae debitum sit, an cari-
 tati tantum: nonnihil quidem ad
 restituendi obligationem pertinet,
 at nihil ad gravis peccati, & aeter-
 nae damnationis, discrimen.

Existi-

^a Laiman l. 4. tract. 2. c. 4. n. 7. Omnes Do-
 ctiores fatentur. beneficiatos mortaliter
 peccare, &c.

IX.

*Etiam super-
flua gratuita,
ex Beneficio-
rū & quasi-be-
neficiorū colla-
tione, mercedis,*

Existimârim, non
absimile esse debere
impendium pecuniarię
gratitudinis; quę uti-
que mera ac genuina
gratitudo sit, & collatori, patrono,
institutori, resignatori, ob præsti-
tum beneficium donetur, atque
adeo ex Ecclesię bonis proficisca-
tur. Cùm enim ista pecunia, aut
res quęvis pretio æstimabilis mer-
cedis gratuitę nomine donata, sint
beneficiorum Ecclesiasticorū ve-
lut instituti fructus: æquum om-
nino esse videatur, ut eandem for-
tem subeant ac fructus cæteri, &
quidquid inde necessarię sustenta-
tioni superest, transeat ad paupe-
res, aut religioni dicetur. Eius
ego quidem sententię dicendo fui,
& scribendo sum: optarimque, ut
Theologi omnes auctores acce-
dant; ne, de mercedis gratuitę
usu

usu nimis laxè differendo, laxissimam mercimoniis simoniacis portam aperiant. Idipsum optarim de quasi-beneficiis, id est præstimoniiis, burfis, beguinagiis, piisve aliis redditibus, quocumque demû vulgari nomine censeantur. ^a Ea quidem, propterea quòd beneficia non sunt, vendere quanti plurimi, simoniacum non est: fædum tamen, & erubescendum, atque à fundatorum voluntate prorsus alienum, cordatus nemo negaverit. Quare, si quid exinde collatori mercedis prorsus gratuita venerit, neque ipse aut sui indigeant: illud, quomodò tum nuper, tum olim, generosa & Christiana pectora fecêre, iisdem usibus assignet, quibus Ecclesiasticorum fructuum superflua.

Quid

^a Olim data pauperibus civitatis opificibus: nuper necessariis civitatis opificiis.

X.
*Ecquam Ec-
clesiastico su-
persua.*

Quid verò Ecclesia-
sticis superesse censend-
um fit: id non ab opi-
nione vanitatis, ab ambitionis ju-
dicio, à morum sæcularium sen-
tentia, sed à prudenti & Evangeli-
ca statûs æstimatione petendum
est, ut mox disces capite proximè
sequenti. ^a Audi interim istud
Bernardi ad Eugenium Pont.

*Quis mihi det, antequam moriar, vi-
dere Ecclesiam Dei, sicut in diebus an-
tiquis, quando Apostoli laxabant retia
in capturam, non in capturam auri &
argenti, sed in capturam animarum?*

XI.
*Bonorum pu-
blicorum su-
persua egeno-
rum necessitati
addicta.*

Quis etiam det mihi
videre respublicas, sicut
erāt in diebus antiquis?
Quādo magistratus se-
fe

¶ Vide apud Barb. l. 3. Iu. Eccl. c. 17. num. 20.
quosdam de necessariis statui Ecclesiastico,
spectatis conditionibus, nimis laxè differen-
tes.

se populi patres esse, pauperum
 in primis, meminerant; munusque
 id suum existimabant præcipuum,
 quod Salomoni parens optabat:
^a *salvos facere filios pauperum, & ex usuris
 redimere animas eorum.* ^b Quando
 Nehemias Judaici populi dux, &
 sui, commodabant plurimis pecu-
 niam & frumentum, æs alienum
 sibi debitum concedebant, anno-
 nas quæ ducibus debebantur non
 comedebant annos totos duode-
 cim, etsi duces qui præcesserant
 gravassent populum in pane, & vi-
 no, & pecunia. ^c Quando Athe-
 nis, apud Ethnicos ipsos, senatu
 quingentorum approbante, de pu-
 blico ærario, senibus, orphanis,
 ægris, diurna stipendia sustentan-
 dæ vitæ præbebantur: ^d Romæ
 in Æsculapii æde ægris assignata
 sedes

^a Esd. c. 5 ^b Suidas, verbo *ἀδύνατος*.
^c Suet. in Claudio.

sedes erat: gerontocomia, seu gerusia, ubi tenuis fortunæ homines, parando sibi ob devexam ætatem victui impares, foverentur, publicis sumptibus civitates curabant.

^a Ut Betschedam, seu Misericordiæ domum, amplis quinque porticibus apud Hierosolymitas Judæos distinctam, non memorem.

Quos deinde Christiana multarum urbium caritas secuta est: ubi ære publico ædes instructæ sunt, educandis pupillis egentibus, recipiendis mancis, alendis effætis, recreandis infirmis: obmurmuranti-
tibus frustra nonnullis, foveri eâ benignitate pigritiam mendicorum, inanibus impensis exhauriri rempublicam, ^b & ut quid perditio
hæc?

Sed

^a Ioan. 5. ^b Mat. 26.

XII.

*Male in usus
inutiles, nedum
iniquos, negle-
ctis pauperi-
bus, vertun-
tur.*

Sed id querimonia-
rum genus longè sapiē-
tiùs, & utiliùs, ut ait in-
signis ^a de Dominicana
familia Theologus, ad-
versùs peculatores verteretur, qui
conviviis infrunitis, stipendiis de-
bitò majoribus, mercedibus im-
meritis, pravisque aliis artibus, æ-
raria, fiscos, bona communia ex-
hauriunt, & ad privatas utilitates
divertunt. Quod crimen hodie,
apud Orientalium Infidelium mo-
ratissimos Chinas, duplicati furti
poenâ plectitur: olim apud Ro-
manos, ^b *aque & ignis interdictionem,*
postmodùm *deportationem* contine-
bat: deinde Augustorum Arcadii,
Honorii, ac Theodosii decreto, *ca-
pitali animadversioni* ^c subditum est.
Etsi capitale poenam Leo Impe-
rator

^a Soto opusc. de eleëm. seu de causa pauperum.

^b Ulp. l. 3. ad leg. Jul. pecul. ^c C. de crim.
pecul. Nov. 105.

rator duplici mulctâ, & dignitatis
 abdicatione mutavit, non satis uti-
 que sapienter: cùm privata furta
 morte plectantur, peculatus au-
 tem furtum publicum sit. In quo
 Legislator a olim statuebat sacrile-
 gii crimen, propterea quòd bona
 publica sacri quidpiam habere vi-
 derentur: bonum enim quò com-
 munius, eò divinius est; & erga
 patriam eodem, quo erga Deum,
 utimur nomine pietatis. Sed no-
 bis, qui sacrilegium ad suos limites
 arctamus, & in propria significa-
 tione restringimus; sufficit hoc,
 quod nunc agimus, de peculatu di-
 cere: quicumque illum admittunt,
 non rei tantùm publicæ facere in-
 juriam, sed rei etiam communi
 pauperum. Cùm enim pauperes
 magna sint, imò maxima pars civi-
 tatum, quod de istarum bonis, ul-
 tra

a l. Julia, de crim. pecul. suprâ.

tra necessaria & utilia, superest, pauperibus deberi censemus: & æquè fermè in egenorum dispendium peccare credimus ærarii publici injustos dispensatores, atque in hospitalium domorum jacturam impingere iniquos curatores, aut pupillorum egentium damnatores injustos offendere.

XIII.

Rerum inventarum, seu a despotarum bonorum, quid pauperibus rogandum.

A despota bona varia sunt, primùm, quæ furto, rapinave, quis abstulit ignoto domino, quæ invenire jam amplius non possit, ut sua ipsi restituantur: deinde, quæ quis non abstulit domino, sed ab eo deperdita reperit: ad extremum, quæ nullius umquã domini fuerunt, ut gemmæ, aut margaritæ, in vacuum ac desertum litus ejectæ. ^a Hæc inquit, D. Thomas, occupanti conceduntur: eadem-

^a 2. 2. q. 66. n. 5. ad 2.

eademque, nisi communes municipalesve leges obstiterint, ratio erit thesaurorum olim defossorum, quam ob rationem thesauri in agro absconditi inventor^a Evangelicus agrum emit, ut jure thesaurum possideat. Ista verò, quæ nuper domino periêre, si pro derelictis habentur, inventor sibi retinere potest: si derelicta non sunt citra furti noxam retinere non potest; nam si quid invenisti, & non reddidisti, b rapuisti. At, quæ furto sublata, dominis restitui nequeunt, in pauperum aut pios usus eroganda sunt. Ita modò universa Theologorum schola definit, traducto ad furta quaelibet exemplo pœnæ, furtivis ex usura lucris per Ecclesiasticas leges constitutæ. c Et verò, quomodò alibi diximus, æquitati

CONFEN-

a Mat. 13. b Aug. serm. 10. de ver. Apost.

c lib. 2. Mach. Exc. 2. ad e. 8. sec. 1. num. 11.

consentaneum est, & coëreendæ alienorum cupiditati perutile, ut injusta rei detentio jus possidendi non pariat. Imò mihi quidem videbatur cum rectâ ratione convenientissimum esse: ut, si locuples ille sit, qui duorum aliorum generum res adspotas habeat, eas sibi non retineat; sed egentibus vel totas, vel partim saltem largiatur. Nam nemini meliùs dabitur, quod paullo antè commune ac domini nullius fuit, quàm qui nihil aut perparum proprium habet: nec rerum omnium auctor censendus est, inveniendi fælicitatem velle opulentis ita utilem esse, ut egenis non profit. Hoc tamen licèt recto admodum congruum, consilii potiùs erit, quàm præcepti.

De

XIV.

De suis cuique
privatis bonis,
non de alienis,
facienda eleē-
mosyna.

De privatis denique
bonis suis cuique faciē-
da eleēmosyna. ^a *Hono-
ra Dominum de tua substan-
tia, &c. Ex substantia tua
fac eleēmosynam, &c. de tua utique,
non de alienâ. ^b Nam immolantis
ex iniquo oblato est maculata: & dona
iniquorum non probat Altissimus: & qui
offert sacrificium ex substantia pauperis,
quasi qui victimat filium in conspectu pa-
tris. Nec dicas, quod quidam per-
peram dixere apud Augustinum,
commendari contrâ in Evangelio,
ut fiant amici ^c de mammona iniqui-
tatis: neque enim ibi Christus vult
stipem erogari de injustè partis,
quæ veris dominis restituenda
sunt; sed de opibus justè quidem
possessis, olim tamen forsan ab ini-
quo possessore manantibus, aut*

E spei

^a Prov. 3. Tob. 4. ^b Eccl. 34. ^c Serm. 35. de
ver. Dom.

spei noxiæ famulaturis, aut illecebrosis ad vitia, aut iniquè id est inæqualiter divisis, quomodò explicat D. Thomas, ^a & apud illum Basilius, Augustinus, Ambrosius. Apud eundem D. Thomam vide quantum, & qua lege ac modo, subditis liceat de alieno stipem erogare: quid Junipero juris fuerit in toga egenis largienda, superiore inconficio: ^b quid Abigaili in Davide alendo, quamvis marito invito: quid Josaphatho, & filio aut seruo trapezitæ, in vita S. Joannis Eleëmofynarii, in largiendis eleëmofynis ultra præscriptum a patre: quid Polycarpo in effundenda pauperibus penu universâ Callistûs dominæ absentis. Constat, nîl subditis licere in superiorum bona, quovis caritatis obtentu, citra eorum voluntatem; aut

altio-

^a 2. q. 32. v. 7. & 8. ^b 1. Reg. 25.

altioris legis, vel excellentioris Domini, ac Patris, manifestum jussum, & indubitatum impulsus. Sed isthæc figillatim persequi hujus loci non est; ^a à Theologis passim tractata, & a nobis etiam alibi pro instituto nostro.

XV.

*Sua cuique
tamen aliena
sunt; & cum
maximè sua
sunt, aliis e-
gentibus dando.*

Quid verò si modò dixerimus, non tantùm de alieno licere eleëmofynam: sed oportere, imò aliter nullam fieri posse? Age enim, quænam ea res est, quam eleëmofynæ impendis? Mea, inquis, non enim is sum, qui furtiva donem. An tua, quam modò non habuisti; quàm mox cariturus es? ^b *Non est tuum, fortuna quod facit tuum*: ita te sentire docet Christianè Lucilius, poëticè philosophans, apud Senecam: ut Stilpontem Megaris spoliatis, Biã-

E 2

tem

^a lib. 2. Mach. c. 3. Exc. 2. sect. 1. ^b Epist. 3.

tem Priene exustâ fileam ; hunc dicentem omnia se sua portare ; illum nîl se suorum amifisse. Sed magistrum Christum audire fatius est : *Si in iniquo mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis ?* Ecquodnam istud alienum est, in quo administrando fidelitatem Christus exoptat ? Mammona utique, opes, bona fortunæ : quæ quisquis caritati non dederit, sua deinceps ac vera bona non merebitur accipere, id est caritatem ipsam, & beatæ simul æternitatis pignus, in Lapide misericordiæ philosophico, & Auro immortalitatis potabili. Tuum te largiri putas, cum stipem donas ? Tuum non est, quod eo fine accepisti à Deo, cujus velut dumtaxat depositarius es : imò tuum est, non quando das, sed cum dedisti. *Fælicissimâ jacturâ recuperas*

peras æternum, quod ad momentum projicis. Sapis cum Rege illo annali, apud Damascenum in historia Josaphathi, si præmittis exilio tuo necessaria. Dicit tibi eleemosyna tua, quod Apostolis Christus: *a Modicum, & jam non videbitis me & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem, parare vobis locum.*

CAPUT V.

Quantum eleemosynæ dandum?

I.
Patres olim
censuere, su-
perstua bono-
rum, etiam sa-
cularium, de-
beri pauperi-
bus.

DUO hinc quæren-
da sunt: primùm,
quanta ex præcepto dā-
da sit eleemosyna: alte-
rum, quanta suadenda
ex consilio. Ex præ-

E 3

cepto

a Joan. 16.

cepto dandum esse, quidquid superfluum est, Patres olim omnes censuere. ^a Unum pro omnibus Ambrosium adducemus, à D. Thoma recitatum: ^b *Secundum naturalem ordinem, ex divinâ providentia institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quod ex his subveniatur hominum necessitati, & ideo per rerum divisionem, & appropriationem, ex jure humano procedentem, non impeditur, quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus. Et ideo res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi. Unde Ambrosius dicit, & habetur in Decretis, distinctione quadragesimâ septimâ: Esurientium panis est, quem*

^a Ambr. serm. 81. ^b 2. 2. q. 66. a. 7. in corp. & alibi sapius. In 5. sent. dist. 15. q. 1. a. 2. dicit. hanc esse communem Theologorum sententiam. Bellarminus eam fusè probat to. 4. cont. ult. l. 3. c. 7. cui titulus; Divino Precepto divites obligari, ad ea pauperibus eroganda, quæ sibi superflua sunt.

quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio & absolutio est, pecunia, quam tu in terram defodis. Ambrosii, cæterorumque Patrum decreto præivit, ut vigilanter advertit D. Thomas, in-
fitum à naturâ lumen, & lex humanitati cœva; quâ inter nos amare juvareque jubemur, quando saltem citra incommodum nostrum licet: atqui citra incommodum nostrum est, quidquid superest.

II.

*Quanam cui-
que censenda
superflua?*

Ecquidnam verò superesse dicendum sit, ex necessariis intelligere oportet. Necessariorum enim alia naturæ debentur, alia statui. Naturæ necessarium dicimus, quod ad vitæ sustentationem indiget: statui necessarium est, quod ad tuendam gradûs cõditionisve dignitatem est opus. Natura paucis

admodum contenta est: status alia
 atque alia postulat, pro stantis
 qualitate; paucioribus enim arti-
 fex quam mercator, hic item pau-
 cioribus quam magistratus, nobilis
 ex equestri ordine pluribus quam
 plebeius locuples indiget. De na-
 turæ necessariis nemo quidquam
 alteri, causâ non impari, tenebi-
 tur erogare: necessaria statui vix
 ullus egeno, nisi rarissimis & ex-
 tremis temporibus, elargiri ad-
 stringetur: superflua naturæ si-
 mul, & statui, caritas quemlibet
 in pauperes, ex Patrum ac D. Tho-
 mæ sententia, jubet dividere.

III.]

*Erogandane
 sint in extrema
 tantum aut
 gravi necessita-
 te, an etiam in
 communi?*

Scio equidem non-
 nullis videri, vel Patres
 interdum exaggeratè
 locutos: vel de extre-
 ma, aut extremæ sup-
 pari, gravique admodum, egestate
 interpretandos, non de communi

& or-

& ordinaria, cui aliunde facilè succurri possit. Omnia enim superflua erogandi præceptum non esse: nisi quando, citra illud subsidium, pauperes de vita manifestè periclitentur, aut de statûs & conditionis jactura & pernicie; quorum illud extremæ dicitur, istud gravis necessitatis. De hisce rerum articulis Paullinû loqui, cùm ait, *a Par-ricidali crimine contemni pauperes: & Ambrosium, cùm dicit, Hoc est occidere hominem, vitæ suæ ei subsidia dene-gare. Cave, ne intra oculos tuos includas salutem inopum, tamquam in tumulis sepelias vitam pauperum.* Extra istos casus, Christiano quidem facien-dam aliquando eleëmofynam de superfluis, non omnia tamen do-nanda superflua. Ita non paucos Theologos arbitrari, non nescio. Mihi tamen, pace contrà sentien-tium,

E 5

tium,

a. Ep. 33. in ps. 138.

trum, tutior, Christianæ pietati convenientior, & communi approbatione dignior, videbatur illorum sententia, qui decernunt, religioni aut misericordiæ obstringi, quidquid cuius ultra statui suo necessaria superest.

IV. *Quoniam statui necessaria?* At quæ ista demum erunt statui necessaria?

Definire aliqui, pro graduum Ecclesiasticorum varietate, conati sunt: haud scio an satis ex usu, imò an ex ratione. ^a Frustra ergo idem pro gradibus cæteris tam multiplicibus, pro tam diversis moribus, pro tam variis temporibus ac locis, minutim ac particulatim statuere tentavero. Sufficiat itaque, id generatim posuisse: attendendum cuique, quos sumptus sanior quisque, in eo gradu, faciat

^a Apud Barb. supra. Multò melius Laiman l. 4. Tract. 2. c. 4. n. 6.

faciat; quam alat familiam; quo splendore, aut modestiâ incedat; quid, supra victum ac vestitum, honeste relaxationi, gratitudini, amicitiae donet; quid Christiana virtus, ac veritas, postulet: non quid exigat insatiata cupiditas, quid adulatio caeca suadeat. Non parum, credo, supererit pauperibus erogandum, imò pauperes vix ulli erunt, si ad illam normam impensae cuique suae exigantur. *a* *Auffer superflua*, inquit Bernardus, *& nulli deerunt necessaria.* *b* Exundabit quasi Iordanis in tempore messis, & quasi Gehon in die vindemiae, latum elemosynae flumen: nisi in rivos alios, aut potius gurgites, disseccetur.

v. *Statui superfluorum gurgites quinque.* Quinos invenio, nimis heu late per compita & rura Christiana exundantes: Avaritiam insatiam
E 6 tam

a De inter. domo. *b* Eccli. 24.

tam, Epularum immoderationem, Infaniam ludorum, Otium sterile, Vanitatē luxûs pompatici. Quàm multum beneficentiæ monstra illa detraxere, inter se plerumque ad-versantia, semper adversus sanctam liberalitatem conjurata? Quot nuper largi in egenos, hodie in equos, canes, parasitos, vestium spectacula, tēporis furta, domuum ruinam, salutis prodigalitatem, evasere largiores? Ille utendis non utitur, & inter opes indiget, ne largiatur egentibus. Alius ingurgitat cibus, ac vinis, egurgitaturum ventriculum, nec ^a mittit proximo suo partem mulsi & pinguium, quia nihil patitur ^b super contritione Ioseph. Alteri plus ad cerei unius flammam absument nocturnæ alexæ, aut chartæ lusoriæ, quàm dies centum caritati impenderent. Hic, aditis

^a 2. Esd. 8. ^b Amos 6.

aditis ex paterna hæreditate contentus, ^a *abscondit manus sub axilla,* agros suos compleri finit sentibus & urticis, alioqui daturus laboranti centuplum in alimenta miserorum. Istis manicata, caudata, striata, non jam corporum solùm, sed saxorum, lignorum, & cæmentorum vestimenta, subtrahunt ori egentium, quod donent oculis stultorum, faciuntque ut nil amplius sit superflui, nisi ipsa. Quod cum Christianis quibusvis curandum sit; tum Ecclesiasticis præsertim fatagendum est: quorum uti est arctior obligatio, ita promptius & acerbius supplicium, si vita, per avaritiam, luxum, otiumve, & istis affines vitiositates acta, eleëmofynis non purgetur.

^a Quam in rem Cantipratanus Proëpiscopus Cameracensis, invocata

catâ ad veritatis fidem Trinitate, narrat : sese in civitate quadam, ubi annos undecim adolevit, vidisse paucis annis, primores quatuor infælici morte sublato; plures itidem, non multò inferioris gradûs, subitò ac miserè vivis ereptos. Loca, & dignitatum nominibus consultò supersedeo, ne ad præsentia forsan exemplum me trahere velle temerarius quispiam suspicetur. Atque utinam, quomodò illis abhinc sæcula quatuor, ita hodie quibusdam superflua sua, malè impensa, horrendi à divina justitia suspendii, æternique interitûs, velut ^a Absaloni comæ suæ, occasionem non præbeant.

Sed

^a Reg. 18.

VI.

Necessaria statum an etiam aspiranda ex conditione celstore, quam speres?

Sed quia hîc etiam laxiùs quidam de necessariis statûs philosophantur, eoq̄ue disputationem adducunt, ut vix ulla cuiquam superflua sint. Aiunt enim, qui pauper sit, posse in statum honestiorem emergere; qui commodè tantùm habeat, adspirare posse ad conditionem opulentam; qui magistratum gerit, ad nobilitatem assurgere in proximo; qui nobilis esse cæperit, altiùs plerumque conari: eosq̄ue omnes nihil statui suo possidere superfluû, si nîl habent supra istius statûs fortunam, quem in vicino expectant ab industria, vel ab opibus sperant. Quia ergo sic nonnulli, abs re quidem forsan, differunt tamen; & quia ad eorum partes non pauci confugient, si largiendorum superfluorum necessitatem ex præcepti

cepti debito nimis acriter urgeamus: idcirco, omisâ tantisper præcepti mentione, dispiciamus, quid ad rectam eleëmofynæ mensuram consilii dari communiter omnibus queat.

VII.

*Tres hominum
classēs, quoad
bona fortuna.*

Tria fortunarum genera sunt, ternæ uē eorum classēs qui bonis temporalibus utuntur.

Divitum prima est, quibus supra ejus, in qua modò agunt, conditionis honestatem, multa suppetunt reponenda vel acervanda in futurū. Classis altera est cōmodè habentium, quibus pro forte sua satis quidem est, at non abundè, ut perparum recondere in posterum possint. Pauperum classis infima sustentare conditionem suam nequit, nisi vel suo labore, vel misericordiâ alienâ, tantum abest, ut quidquam facilè queat com-

com-

comparat^e. In hac infima clas-
 sium, quam Christi sapientia sibi
 præoptavit, non mendici modo
 sunt, & artifices plerique: Sed
 magnatum aliquando nonnulli,
 quibus ad magnæ fortunæ splen-
 dorem impar domi res est, minore
 tamen culmine futura superior.
 a Mediam classem aliis optabilio-
 rem censuit Salomon; tenent, qui-
 bus cum Paulo^b *magnus questus est*
pietas cum sufficientia. Divitiæ ple-
 rumque apud illos magis sunt, qui
 minùs venditant: quia^c *ubi multe*
sunt opes, multi & qui comedunt eas,
 nisi opum possessores intra sapien-
 tis modestiæ cancellos sese conti-
 neant, ut parasitastros, & vultures
 chlamydatos, & gladiatos, ad vo-
 randa sua non invitent.

Clas-

a Prov. c. 8. b 1. Timot. 6. c Eccle. c. 59.

VIII.

Consilium quibus suis generale ad eleemosynas; particulare divitibus, ad tertianas facultates.

Classium illarum cuiusvis melius consilium dare non possim, quàm istud S. Ignatii nostri: ^a Optimum, ac securissimum est, unicuique distributionis curam subeunti, ut sua subtrahat commoditati quantum potest, ac seipsum proximè conformet ad exemplar Domini nostri IESU Christi summi Pontificis: quandoquidem in tertio etiam Carthaginensi Concilio, cui interfuit S. Augustinus, decretum fuit, supellectilem Episcopi vilem ac pauperem esse debere. Hoc idem in quolibet statu, seu vita genere, provideri convenit: habitâ interim ratione personarum & statuum ipsorum. Adducit deinde pro exemplo sapientis distributionis, ^b Joachimum & Annam D. Virginis parentes, illustrissimæ utique nobilitatis, ac primi inter suos

^a In Exerc. reg. de eleëm. ^b Habebatur olim in Breviario Officii Rom. hodièque habetur in eorum vita.

suos gradûs ex avito sanguine regio: à quibus Tertiam bonorum suorum partem in egenos divisam perhibent; tertiâ alterâ in templi versâ, & sacrificiorum, impensas; ut tertiâ reliquâ victarent, & familiæ nobilis decus tuerentur, transmitterentque filiæ, quàm tamen pauperulam, Deo ad Filii sui statum ita disponente, reliquerunt. Nec dubium, quin divitum aliquibus, seriò Christianis, ea bonorum partitio placeat: malintque paululum de statu suo, quàm de benignæ munificentiae perfecto officio decedere. Ut non egeni quidem fiant largiendo, sed egenis non longè dissimiles: nec desit ipsis, quamvis opulentis, ex propenso illo erga pauperes affectu, prima veræ beatitudinis apud Christianos nota; postquam Christus ir-

revo-

revocabiliter pronuntiavit, ^a *Beati
pauperes.*

IX. Satis aliis visum, si
Valde conve- Decimam bonorū par-
nienter miseri- tem, sibi familiæque
cordia impen- subtractam, in pios usus
detur Decima expenderent. Eam de-
bonorum.

cimandi rationem sacris Scripturis
commendatissimam esse, frustra
ostendero, cū passim in veteri
Testamento spectetur: & in Evan-
gelio Pharisæum audiamus dicen-
tem, ^b *Decimas de omnium, que possi-
deo: legamusque* ^c Paullum deinceps
decimationes Melchisede cho
factas recitantem. Quod licet ad
religionis, ac sacrificiorum, mini-
stros pertineat: ratio tamen etiam
spectat ad pauperes. Nam De-
cima, teste ^d Angelico Doctore,
perfectionis signum est, quia de-
narius

^a Mat. 5. ^b Luc. 18. ^c Hebr. 7.

^d 2. 2. q. 87. v. 1.

narius numerus est limes numero-
rum, qui ex illo ad caput redeunt:
^a caritas autem est vinculum perfectio-
nis. Addo, valdè convenienter
decimas solvi, tum religioni, tum
misericordiæ; ut, quæ in decalo-
gum peccata sunt, ejusdem nume-
ri eleëmofynis redimantur, & ex-
pientur.

X.
*Et primitias
quævis.* Decimis quidam per-
commodè jungunt Pri-
mitias: quod primum
ex mercimonio aliquo lucri, ex
novo censu redditûs, ex novali a-
gro proventûs, ex studiis honora-
rii, ex labore stipendii, id totum
ut egenis seponant; nisi aliter flagi-
tet manifesta sua, suorumque, ne-
cessitas. *Honora* inquit Sapiens, ^b
*Dominum de tua substantia, & de primi-
tiis frugum tuarum da illi: & replebuntur
horrea tue saturitate, & vino torcularia*
redun-

a Col. 3. b Prov. 3.

redundabunt. Quod de frugibus ille
suadet; ob similem causam de in-
dustria, fortunæ, fructibus sua-
dendum est.

XI.

*Vicesimam, aut
tricesimam
tantum, largiri
nimis paucita-
tis est.*

Tricesimâ contenti
sunt parciores: quos lu-
bens ad Zacchæum ab-
legavero, ut ab avaro
trapezita, & fænebris
negotiationis fure, intempestivam
parsimoniam dediscant, audeant-
que saltem ^a Vicesimam partem
bonorum suorum dare pauperi-
bus: postquam illum audierint,
dimidiam solidam generosâ largi-
tate indigentibus offerre; supra
oblatam, necessariâ æquitate, ex
legis mensura, quadruplam resti-
tutionem, si quos fortè fraudave-
rat. Adeant & illi angusti pectoris
homines, opumque nimis attenti
custodes, magnanimi Machabæi
castra

^a Luc. 19.

castra a victricicia: & spectent exē-
pla ducis, ac militis, non utique
post tot patriæ clades opulento-
rum, bis, parvo intervallo, prædam
ac spolia cum *debilibus, orphanis, viduis*
pauperculis dimidiantium. Quid
autem, si cui etiam tricesimandi
voluntas desit, nedum decimandi,
primitiandive, aut tertiandi: eum-
ne ab omni eleëmofynariorum cę-
tu, de Consilii seutentia proscribe-
mus?

XII.

*Quinquagesimam saltem
non dare, sed
ac damnanda
avaritia est, et-
iam in media
fortuna, ne-
dum in locu-
plete.*

Ad extremum ita-
que parcus adeo nemo
fuerit, ut Quinquage-
simam saltem bonorum
partem Christianæ li-
beralitati non config-
net. Qui id non fecerit,
quâ fronte labia Christi vulneri-
bus, tantâ in ipsius salutem abun-
dantiâ profluis, admovebit? Qui-
bus

a Mach. 8.

bus oculis Christum judicem, plagas suas hinc misericordibus, inde immisericordibus, ostentantem, intuebitur? Quâ mente spem suam porriget ad æternam liberalitatis mercedem, quinis Christi vulneribus, velut totidem immensi pretii fidei caritati nostræ excitandæ, comparatam? Neque enim Christianus, ad eum modum inclemens, parcis jam accensendus veniet, sed avaris, ^a quod est idolorum servitus: indignusque erit *Sacro dierum circulo*, quo lege fit remissio; nec quinquagenarii numeri, ^a ^b Spiritu veritatis ac caritatis consecrati, significationem, in exoptata culparum suarum venia & clementi indulgentia, consequi merebitur. Quod non divitibus modo, sed commodè habentibus dixerò: quibus universim eleëmofynam

a Eph. 5. b Act. 2.

synam aliquando in pauperes erogare necesse est, ^a ex mandati divini indubitata & severissima lege.

XIII

Eadem pauperibus commēdatur.

Imò eandem sanctæ largitatis mensurâ pauperibus ipsis commendavero : quibus saltem in diem ex labore suo, & tenui censu, non admodum difficilis victus est. Ecquis enim, quantumvis tenuium, quinquagesimandæ in annos facultatulæ suæ incommodum non lubens patiatur, virtutis causâ, & gratiâ Christi imitandi; qui, ^b etsi non habebat ubi caput reclinaret, egenis tamen suæ ipsius egestatis alimenta seponenda, & donanda, sæpè curabat? Et verò non paucos novimus paupertinorum artificum, eo exemplo, præ opulentis liberales. Locupletes

F

enim

^a Suprà c. 1. ^b Luc. 9. Joan. 13.

enim, quò plus possident, plus ferè cupiunt; aiuntque, tam plumis suis aquilam, quàm motacillam, indigere. Adeò carere, quàm non cupere, facilius est. Et plerùmque citiùs Lapidem philosophicum, metalla terrena cælesti auro mutantem, inter rudia saxa invenias, quàm inter politos adamantes. Plùsque sæpè Auri portabilis, *a de fonte aquæ vitæ*, accipiunt, qui minus auri possident.

a Apoc. 21. & 22.

F I N I S.

Implendis pauculis pagellis hæcæ considerationes, nuper in expanso folio editas, recudimus, incitamento etiam ad eleëmofynam futuras, ut ad cætera virtutum Christianarum opera.

CON-

CONSIDERATIONES

SEPTEM,

AD DISPONENDUM

ÆTERNITATIS

INGRESSUM,

UBI SEMEL ERRASSE,

SEMPER ERRASSE EST.

I. QUID EST VITA HOMINIS?



Luxus præceps, cu-
jus ne stillula quidem
teneri potest : fugax
curriculum, cujus
nec momentum sta-
bile est : ortûs & interitûs con-
catenata revolubilitas, cujus ne
punctum quidem fixum est.

*Quid est vita vestra? Vapor est, ad mo-
dicum parens, & deinceps exterminabi-
tur. Jac. 4.*

F 2

Quid

Quid dicturus es, malè amator, perversè amator : quid dicturus es huic amata vitæ tuæ? Dic, alloquere, blandire si potes. Quid dicturus es? Ad istam nuditatem me perduxit pulcritudo tua. Clamat tibi, Feda sum, & tu amas? Clamat, Dura sum, & tu amplecteris? Clamat, Volatica sum, & tu sequi conaris? Ecce respondet tibi amata tua, Non tecum stabo. August. Ser. III. de diver.

2. QUID EST MORS.

NATURÆ humanæ debitum, ab omnibus solvendum; horâ, quâ creditor repetet; loco, quo depositor volet; modo, quo Deus statuet: horâ, loco, modo, quibus debitor nescit.

Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem? Ps. 88.

Vita hæc misera est, mors incerta: si subito obrepat, quomodo hinc exhibimus? Aug. l. 6. Conf. c. II..

3. QUID

3. QUID EST ÆTERNITAS?

INITIMUM sine fine: finis semper incipiens: vitarum humanarum interminatus terminus: futurum semper præfens, & futurum: fluentibus assiduè partibus permanens totum. Hoc nostra est æternitas, quæ mortem excipit. Nam Dei æternitas, est punctum immobile, cui neque initium, nec finis est: ex quo evolvuntur initia omnia, & fines. Æternitas nostra est, semper fore: Dei æternitas, semper esse.

Numerus dierum hominum, ut multum, centum anni: quasi gutta aque maris deputati sunt, & sicut calculus arena, sic exigui anni in die ævi. Eccles. c. 18.

Quidquid vis, dicis de æternitate: ideo autem quidquid vis dicis, quia quidquid dicis, minus dicis. Sed ideo necesse est aliquid

F 3

dicas,

dicas, ut sit unde cogites, quod non potest dici. Aug. in Psal. 61.

4. QUID EST INFÆLIX
æternitas?

MORS numquam moritura
vita semper moriens: cala-
mitatum omnigenarum horribi-
lis immortalitas: pœna sensûs
omnis interni, & externi, num-
quam defitura: pœna immensi
damni, ex summi boni irreparabili
jacturâ.

*Fumus tormentorum eorum ascendet in
secula seculorum: nec habent requiem die
ac nocte. Apoc. c. 14. Pars illorum
erit in stagno ardenti igne, & sulphure:
hec est mors secunda. Apoc. c. 21.*

*Quia non videns placuisti tibi, displice-
bis & mihi, & tibi; mihi, cùm judicabe-
ris; tibi, cùm ardebis. In Ps. 49.*

*Qui dulcedinem sapientie & veritatis
utrumque sentire ceperunt, noverint quod
dico;*

dico; quanta pœna est, tantummodo à facie Dei separari. Ib.

5. QUID EST FÆLIX
æternitas?

INFINITI boni perpetuum,
cum immobili possessione, desi-
derium: jucunditas continua sine
mistura fastidii: sine vicissitudine
laboris jucundissima quies: immu-
tabile gaudium de præsentia om-
nium, quæ benè delectant; ab-
sentiâ omnium, quæ cruciant.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec
in cor hominis ascendit, quæ preparavit
Deus iis, qui diligunt eum. 1. Cor. 2.

Extendat anima cupiditatem suam, &
sinu capaciore querat comprehendere, quod
oculus non vidit, nec auris audivit, nec in
cor hominis ascendit. Desiderari potest,
concupisci potest, suspirari potest: verbis
explicari non potest. Aug. tract. 34. in
Jo. Tanta est jucunditas lucis æternæ; ut
etiam sibi

etiamsi non liceret in ea manere, quam unius diei morâ, propter hoc solum innumera- biles anni hujus vitæ, pleni delitiis, & circumfluentiâ temporalium bonorum, ju- re meritoque contemnerentur. Idem lib. 3. de lib. arb. c. 25.

6. QUÆ VIA AD INFÆLICEM
æternitatem?

ÆTERNITATIS oblivio: fu- turorum præ præsentibus neglectus: mendax tranquillitas: infidiosa prosperitas: callosa con- scientia: infana securitas. Subter- raneus esse vult, qui nimis terre- nus est.

Orane quod est in mundo, concupiscen- tia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 1. Joan. 2. Via pec- cantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebra, & pœna. Eccl. C. 21.

Redite

Redite pręvaricatores ad cor, & inha-
 rere illi, qui fecit vos. Quò itis in aspera,
 quò itis? Quò vobis adhuc, & adhuc, am-
 bulare vias difficiles, & laboriosas? Non
 est requies, ubi queritis eam. Querite,
 quod queritis: sed ibi non est, ubi queritis.
 Beatam vitam queritis in regione mortis:
 non est illic. Quomodo enim beata vita,
 ubi nec vita? Aug. l. 4. Conf. c. 12.

7. QUÆ VIA AD FÆLICEM
 æternitatem?

ÆTERNITATIS memo-
 ria: desiderium futurorum:
 terrenorum præ cælestibus negle-
 ctus: conscientię cura: vita inno-
 cens, aut pœnitens: innocentię,
 & pœnitentię, coronis bona mors.

Ego sum via, & veritas, & vita, in-
 quit Christus. Joan. c. 14. Qui se-
 quitur me, non ambulat in tenebris, sed
 habebit lumen vite. Joan. 8. Mundus
 trañsit,

transit, & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in eternum. 1. Joan. 2.

Benè vivite, ne malè moriamini. August. Serm. 24. de ver. Dom. Certè non potest malè mori, qui benè vixerit. Id. de Disc. Christ. sub finem.

FINIS.

Facultas R. P. Provincialis.


EGo infra-scriptus, Soc.^{tis} JESU
in Gallo-Belgica Provincialis,
juxta privilegium eidem Societati
concessum, quo Typographis om-
nibus prohibetur, ne libros ab ejus-
dem Societatis hominibus compo-
sitos absque superiorum permissio-
ne imprimant: facultatem do JO-
ANNI MATHIÆ HOVIO, Typo-
grapho Leodiensi, ut librum, cui
titulus est, *Lapis Philosophicus, & Au-
rum potabile, Eleëmofyna*, à R. Patre
JOANNE ERARDO FULLONIO
ejusdem Societatis Theologo com-
positum, ad sex annos proximos
imprimere, & liberè distrahere
possit. Datum Insulis. 9. Maii
1667.


LAURENTIUS LUDOVICI


Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.


Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly unrecognizable due to its lightness and the texture of the paper.


Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or footer.














3

Th
3065